DE SACRÆ SCRIPTURÆ

INSPIRATIONE ATQUE INERRANTIA

TRACTATUS DOGMATICUS

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. J.



Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMÆ, 1910.

17307

1. — **Monographiæ recentiores**, sæpius adductæ, sive dogmaticæ illæ sunt, sive historico-dogmaticæ, sive eiusmodi historicæ, quæ omnes ætates amplectuntur:

Card. Joan. B. Franzelin S. I., Tractatus de divina Traditione et Scriptura, Romæ [1]1870 [3]1882 p. 321-569. — Additur symbole contra sententiam aliquam quæ « alicubi latius serpere coeperit », scilicet contra sententiam quæ statuit, extensionem inspirationis limitandam esse ad res fidei et morum seu religiosas. — Cardinalem Franzelin et in delectu sententiarum et in argumentandi ratione plurimi qui deinceps de inspiratione scripserunt, ut ducem sequebantur.

Franciscus Schmid, De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brixinæ 1885, 443. — Quæ monographia cæteris prior recentioribus his temporibus edita est.

Gummarus Iosephus Crets O. Præm., De divina bibliorum inspiratione, Lovanii 1886, 333.

P. Dausch, Die Schriftinspiration, Freiburg 1891, 241.

C. Chauvin, L'inspiration des divines Ecritures, Paris 1896, 230.

D. Zanecchia O. P., Divina inspiratio sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis, Romae 1898, 248.

Ludov. Billot S. I., De inspiratione sacræ Scripturæ theologica disquisitio, Romae [1]1903 [2]1906, 179.

Sanctus Schiffini, Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata, Augustæ Taurinorum 1905, 305.

Christ. Pesch S. I., De inspiratione Sacræ Scripturæ, Freiburg i. B. 1906, 653. — Opus maius quod hucusque de inspiratione Scripturæ editum est. Complectitur libros duos. Quorum prior p. 11-379 historicus est, alter p. 379-637 dogmaticus.

I. V. Bainvel S. I., De Scriptura sacra, Paris 1910, 214.

Quodsi solum nomen auctoris citabimus, ad id ex eius operibus remittimus, quod hic indicavimus. Alia opera postea addentur.

PARS I GENERALIS.

DE SUBIECTO ET METHODO HUIUS TRACTATUS.

DE EVOLUTIONE HISTORICA

DOCTRINÆ DE SCRIPTURÆ INSPIRATIONE ATQUE INERRANTIA

CAPUT I.

DE TRACTATUS SUBIECTO ET METHODO

Art. 1. — De subiecto tractatus nostri.

Obiectum formale quod seu subiectum tractatus nostri est origo divina librorum sacrorum eaque mediante inspiratione.

Sectio I. — Summatim exhibetur notio subiecti tractatus nostri.

2. — **Obiectum materiale** tractatus nostri constituunt libri sacri et canonici ecclesiæ catholicæ.

Existunt libri quidam, quos ecclesia catholica inde ab antiquissimis temporibus *sacros* vocabat. Quibus præcipue ob eam rationem hoc nomen indidit, quia eius persuasionis erat, ipsam *originem* eorum esse speciali modo sacram. Vocantur etiam Sacra Scriptura, vel simpliciter antonomastice, ob excellentiam, liber, libri, Scriptura. *Canonici* ideo dicti sunt, quia *collectionem* eorum librorum formant, qui soli ab ecclesia catholica ut origine speciali modo sacri agniti atque consequenter ut *fidei fons et norma* fidelibus propositi sunt. — Sunt vero ii libri quos Conc. Trid. Sess. 4 enumeravit. Ench. 784.

De diversis nominibus horum librorum atque de rationibus, ob quas ea iis imposita fuerint, cf. v. g. Cornely, Introductionis in U. T. libros sacros Compendium, Prolegomena c. 1 §. 1 Paris ^{6}1910 p. 9-11 ; Introductio I^{2} Paris 1897 c. 1 §. 1. n. 11-14 p. 22-8.

3. — Hi ipsi libri sacri et canonici vere *ab hominibus*, certo tempore, in finem determinatum, certis sub occasionibus atque conditionibus *scripti sunt*. Qui fuerint hi auctores, qui scribendi fines, tempora, occasiones atque conditiones, ea disciplina inquirit, quae Introductio in sacram Scripturam audit (Cf. Cornely Comp. n. 3 p. 5; Introd. n. 7 p. 10-4).

Iam vero cum cæteri libri solos homines noscantur habere auctores, hi secundum doctrinam ecclesiæ catholicæ *auctorem habent ipsum Deum, at ita ut homines ad eos conscribendos inspiraverit.* Eos enim libros, uti Concil. Vatic. Sess. 3. c. 2 Denz. 1787 definivit, « ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiæ traditi sunt ».

Hæc ergo origo divina horum librorum mediante inspiratione, seu hæc eorum perfectio quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, *obiectum formale tractatus nostri constituit.*

4. — *Qui duo conceptus auctoris, inspiratoris non sunt iidem.* Omnis enim qui inspirat librum, auctor eius est, at non omnis qui auctor alicuius libri est, talis est per modum inspiratoris. *Etenim ratio auctoris est genus, quod duas species sub se habet: auctorem, qui non utitur alia persona ut causa instrumentali suæ locutionis, auctorem qui alia persona tali modo utitur.*

Per se nempe non repugnat, quominus Deus immediate aliquem librum conscribat, quin aliam personam in ratione instrumenti adhibeat. Quodsi in nostris libris sacris res ita esset, haberent utique Deum auctorem at non inspiratorem. De facto vero omnes nostri libri sacri et Deum et homines habent ut auctores veros, Deum ut auctorem principalem, hominem ut auctorem instrumentalem.

Iamvero ad hoc ut causa quædam principalis alia causa ut instrumentali utatur, requiritur influxus quidam, qui a principali causa procedit et in instrumentali recipitur. Ergo etiam sacri scriptores in scribendis libris sacris influxum quendam a Deo debebant recipere. *Hic influxus in homine receptus, quo fit, ut in ordine ad aliquem librum scribendum elevetur in instrumentum Dei, vocatur inspiratio ad scribendum.*

Quodsi ergo in hoc tractatu dicimus, libros sacros Deum habere auctorem, eumque per modum inspiratoris, duplici ratione plus dicitur, quam si solum diceretur eos habere Deum auctorem. Primo affirmationi, qua dicitur, Deum esse horum librorum conscriptorem, adiungitur alia magis determinata, Deum homines in eorum scriptione assumpsisse ut instrumenta, eum proinde horum librorum esse causam quidem veram, at non unicam, sed principalem. Deinde illud quoque adiicitur, causam ontologicam, cur isti libri, quamvis ab hominibus sint conscripti, tamen Deum habeant auctorem, esse in influxu quodam præternaturali in hos

homines exercito. Unde si affirmatur, Deum esse auctorem per modum inspiratoris, ratio veri auctoris, quae Deo tribuenda est, non minuitur, sed declaratur et determinatur.

5. — Sicut quis sibi formare potest conceptum inspirationis ad scribendum, ita quis sibi etiam repræsentare potest inspirationem ad loquendum, eam scilicet qua quis per modum instrumenti Dei aliquid proferat mediantibus signis non scripto exhibitis sed ore prolatis. At *inspirationem ad loquendum in tractatu nostro non directe consideramus*, quippe qui sit de Scriptura inspirata.

Cum ita hanc originem divinam librorum sacrorum ut obiectum formale tractatus nostri exhibemus, tum ipsam originem in se sumptam intelligimus, tum ea omnia quae ex eo consequuntur quod hi libri dictam originem habent atque ut tales ecclesiæ traditi sunt.

Sectio II. — Expolitur quodam modo conceptus libri qui Deum habeat auctorem eumque mediante inspiratione.

Prænotanda de Dei influxu in omnem actionem creaturæ tum naturalem tum supernaturalem.

6. — Vidimus, in hoc tractatu agi de eo influxu Dei in hominem scribentem probando et explicando, quo fit ut liber a Deo per hominem scribatur, ita ut vi huius influxus omnes sententiæ scripturæ sint ipsius Dei eloquia vi originis a Deo nobis fide divina amplectenda.

Est utique quidam alius influxus quem Deus in hominem scribentem exerit isque fortissimus, *Dei scilicet cooperatio*, sive eam concipis per modum concursus simultanei, sive per modum præmotionis vel prædeterminationis physicæ, sive alio quodam modo.

At hic influxus longe diversus est ab inspiratione ad scribendum. Ille *ad generalissimam rationem entis efficiendam tendit*, hic ad rationem scriptionis eiusque divinitus factæ. Etiam ille utique facit creaturam, uti quidem loquuntur, instrumentum Dei, in quantum scilicet nulla creatura agere potest id, quod suum est ac manet, nisi a Deo ad agendum applicata; hic vero in tantum ut ea, quæ scribit creatura, sint ipsissima eloquia Dei vi originis fide divina a nobis amplectenda. Unde ille in omnibus actionibus humanis invenitur, hic in solis hagiographis. Cum illo omnis componi potest in sententia scripta falsitas et malitia, cum hoc nulla neque falsitatis neque malitiæ vel tenuissima umbra.

8. — Alius influxus Dei, isque sublimissimus sæpissime in homine scribente invenitur, *gratia dico actualis.*

At iterum quam longe hic absumus ab inspiratione ad scribendum. Illa *influit* in actum scriptionis *ipsam supernaturalitatem*, seu ordinem intrinsecum ad visionem beatificam; hæc vero eiusmodi elevationem qua fit actus scribendi divinitus ortus. Etiam ille utique facit hominem, uti quidem se exprimunt, instrumentum Dei, at in tantum in quantum actionem qua supernaturalem agere non posset, nisi antea ad hoc ipsum actus esset a Deo; hic in tantum ut, quos conceptus homo ad alios dirigat, hos ipse Deus divina ad eos dirigat auctoritate. Unde ille invenitur in omnibus scribentibus supernaturaliter agentibus vel saltem in illis, qui habitibus infusis destituti sunt atque ideo principio externo supernaturalitatis egent; hic in solis hagiographis. Ille ex communi lege omnibus offertur, hic præter communem legem est. Cum illo etsi nulla malitia subiectiva, falsitas tamen et malitia quædam obiectiva non pugnat; hic omnem tum malitiam tum falsitatem tantopere respuit, quantopere ipsa divina veritas atque sanctitas.

Hic ergo influxus naturalis vel præternaturalis in statuendo et expoliendo conceptu inspirationis a limine ut *plane insufficiens*, imo alterius ordinis, removendus est. Ad alia sane progrediendum est, ut inspirationis elementa habeantur.

Quem ob finem et qua ratione accuratius exhibeamus voces et notiones revelationis, locutionis, auctoris, libri θεοπνεύστου vel inspirati, prophetæ.

9. — Hoc articulo exibebimus *eas voces atque notiones, quæ in nostro tractatu præcipue considerandæ sunt.* Ad quem finem quædam in memoriam revocamus, quæ in philosophia vel theologia de iis statuuntur. Cum diversas notiones referimus, quæ cum aliqua voce coniunguntur, in iis declarandis aliquantulum insistimus, quæ Scripturæ inspiratæ de facto conveniunt.

Id quod, uti patet, hoc loco, in ipsa introductione, non in eum finem facimus, ut probemus eas notiones recte ad Scripturam applicari, sed ob duplicem alium finem. Primo *ut termini* ad inspirationem Scripturæ spectantes, qui in fontibus pro diversis temporibus, auctoribus, contextu, aliis circumstantiis diversas significationes habere solent, *facilius intelligantur.* Deinde ob eam causam, ut *iam inde ab initio clare cognoscatur, quid illud sit, quod demonstrandum suscipimus*, atque ita fontes theologici iam inde ab initio plenius et distinctius intelligi possint.

10. — Voces autem et notiones quæ ob hos fines tractandæ videntur, hæ sunt: *revelatio, locutio, auctor, propheta, inspiratio.* Quæ cur selectæ fuerint, hanc accipe rationem.

Deus loquitur nobis per scripturas, ergo notio locutionis explicanda est. Qui scripto aliis loquitur, seu librum ad eos dirigit, auctor libri vocatur; ergo de auctore agendum est. Loqui nomine Dei, sive ore sive scripto illud fiebat, olim dicebatur prophetare; unde vox et notio prophetæ proponenda est. Causa ontologica cur libri sacri, quamvis sint humanitus conscripti, tamen Deum habeant auctorem principalem, inspiratio dicitur; quare de voce et notione inspirationis tractandum est. Atque hæ quidem notiones per se ad nos spectant cum sine dubio ingrediantur ipsam locutionem seu scriptionem librorum sacrorum.

De voce et notione revelationis vero agimus præcipue propter duo. Primo quia negandum est, ipsum hagiographum ea, quæ scribit, ex revelatione, strictiore quodam modo explicata, discere debuisse; quæ negatio ad conceptum inspirationis intelligendum magni momenti est. Deinde quia tenendum est, ea quæ inspirata sunt, nobis per hagiographos revelata dici debere.

Quia vero notio revelationis generalissima est, ab ea explicanda initium facimus.

§ 1. — De voce et notione revelationis.

Lit. dabitur simul cum literatura de locutione n. 24 p. 19.

11. — **Etymologia vocis revelandi.** — Revelatio vi vocis dicit actum, quo quis velamen materiale a re abscondita retrahit. Si de actu mentis sermo est, revelatio vi etymologiæ significat actum quo quis alteri rem ei antea incognitam manifestat.

Usus vocis revelationis. — Quemadmodum in aliis plurimis vocibus sæpissime locum habet, ita etiam in hac voce usus etymologiæ limites prætergreditur.

Definitio revelationis.

12. — Revelatio *sensu proprio at latissimo* sæpe sumitur *pro omni præternaturali influxu in mentem quo Deus aliquam veritatem hominibus communicat.*

Exempla usus. — Ita revelatio vocatur ipsa visio beatifica; revelatio dicitur omnis scientia infusa; revelatio nominatur testificatio divina. Cf. DE LUGO, De virtute fidei divinæ disp. 1 n. 197.

Hoc ergo sensu latissimo inspiratio est quædam revelatio. Est enim quidam influxus præternaturalis in mentem unius hominis scilicet hagiographi, quo fit, ut Deus eo mediante cæteris veritatem manifestet. Hocque verum est, etsi vi inspirationis ipse hagiographus nullam veritatem sive novam addisceret sive iam notam alia ratione vel maiore cum perfectione quam antea cognosceret.

Divisiones revelationis.

Revelatio generalissimo sensu sumpta distinguitur multis modis.

13. — 1) **Revelatio rei ignotæ, iam notæ.** — *Secundum obiectum*, quod per eam communicatur, revelatio dividitur in eam, qua communicatur obiectum ignotum ei qui revelationem recipit, et in eam, qua communicatur obiectum ei iam notum; unde tale obiectum tantum alio modo vel etiam tantum alio actu communicationis quam antea ei notum fit.

14. — **Modus loquendi.** — Iamvero quoniam etymologia vocis revelandi communicationem rei ignotæ denotat, ideo aliquando sola communicatio rei ignotæ dicitur revelatio sensu stricto, omnis vero quæ obiectum iam notum refert, revelatio sensu lato.

Generatim vero in fontibus theologicis revelatio nominatur omnis communicatio divina, sive nota sive non nota refert. Cuius rei ratio esse videtur duplex. Una est, quia inter ea obiecta quæ Deus hominibus publice qua credenda proposuit, partes etsi non prolixiores at nobiliores referunt obiecta mysteriosa, i. e. eiusmodi obiecta quæ naturaliter a nulla creatura cognosci possunt. Alia est, quia quidquid a Deo auctoritatem suam interponente asseritur, in tantum nobis erat antea velatum, in quantum non per divinam auctoritatem erat cognitum, sed ex solis principiis naturalibus haustum, in tantum ergo revelatur, in quantum nova via, per auctoritatem divinam, nobis innotescit.

Exempla usus loquendi. — Concilium Vaticanum, ses. 3. c. 2 de revelatione Denz. 1786, agit de communicatione tum mysteriorum tum earum veritatum, quæ in rebus divinis humanæ rationis per se impervia non sunt atque e quibus singulæ quædam multis notæ esse posse supponuntur. Prosequitur vero n. 1787 ita: « hæc... supernaturalis revelatio... continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus ». Theologi passim in tractatu de fide ex una parte ut obiectum actus fidei ponunt revelationem divinam, ex alia parte docent, credendum esse quidquid Deus dixerit. Item apologetæ in theologia fundamentali possibilitatem revelationis demonstrant, abstrahendo ab eo, num agatur de rebus iam notis vel ignotis. Cf. v. g. Pesch, Prælect. dogm. VIII th. 12; Guil. Wilmers, De religione revelata ll. 5 n. 58 p. 47.

15. — *Si ergo revelatio sumitur pro communicatione obiecti ignoti, inspiratio,* ut videbimus, *revelatio dicenda non est.* Quo sensu aliquando interrogant, utrum cum inspiratione in quantum ab hagiographo recipitur, revelatio pro ipso sit coniuncta necne; item quæri potest, utrum pro legentibus Scripturam debeat esse quædam revelatio, scilicet rei ignotæ.

Si vero, uti generatim est usus loquendi, revelatio abstrahit ab eo, num sit obiecti ignoti an noti, sine dubio inspiratio dicenda est revelatio, saltem si is respicitur, cui Scriptura ut divinitus credenda proponitur.

16. — 2) **Revelatio sive tantum applicans elementa cognitionis, sive infundens.** — « Dupliciter mens humana a Deo edocetur in veritate adipiscenda. Primo, quatenus ipsam virtutem a Deo accipit, qua fit habilis ad veritatem percipiendam: secundo, prout virtus divinitus collata applicatur ad operationem sive perceptionem veritatis. Primum solius Dei est, atque hac ratione homo, neque ab alio homine, neque etiam ab angelo doceri potest. Alterum e converso potest convenire etiam angelo aut homini, hoc solum discrimine quod Deus immediate potest movere intellectum, angeli contra et homines non possunt in alterius intellectum agere nisi mediate, agendo nempe in sensus exteriores vel interiores. Ex qua doctrina sequitur, non omnem operationem qua Deus interius nos veritatem docet, sive ut naturæ auctor, sive ut auctor gratiæ, secum ferre infusionem vel augmentum novi luminis intellectualis sive virtutis intellectivæ ». Ita Schiffini n. 74 III p. 212 explicat doctrinam S. Thomæ super Boeth. de Trin. qu. 1 a 1 coll. cum Qu. disp. de veritate qu. 11 a 1.

17. — 3) **Revelatio infundens species, infundens lumen iudicativum.** — Revelatio generatim sumpta sive ignota sive nota per eam communicantur, alio modo distinguitur · *secundum elementa ad cognitionem requisita,* quæ præternaturaliter infunduntur. Dico: secundum elementa ad cognitionem requisita. Etenim ipse actus cognitionis utique nunquam infunditur, cum ex natura cognitionis sit, ut ab ipso cognoscente vitaliter procedat. Infundi autem possunt hæc elementa: aut solæ species, idque sive ipsæ simpliciter in se sumptæ sive nova eorum ordinatio atque compositio; aut solum lumen quo res per species repræsentatæ diiudicantur; aut et species et lumen iudicativum.

Modus loquendi. — Ea revelatio, in qua infunduntur et species (vel earum nova ordinatio) et simul lumen iudicativum, aliquando dicitur revelatio stricte talis, ea vero in qua (tantum species vel) tantum lumen

iudicatum infunditur, aliquando nominatur late talis. Qui modus loquendi non nimis mirum videbitur ei, qui ex una parte consideraverit in priore illo genere plura elementa perfectæ cognitionis infundi quam in secundo, ex alia parte recordetur, finem revelationis non posse esse nisi cognitionem veritatum. At est etiam alius modus loquendi.

18. — Exempla usus loquendi diversi. — Franzelin, De acceptatione specierum agens in appendice cit. n. 3 hæc habet: « Nec revelatio stricto sensu, manifestatio rei occultæ, nec *nova* revelatio sensu latiori, prima videlicet veritatis propositio divinitus facta, pertinet ad essentialem notionem inspirationis ».

Card. Thomas Maria Zigliara, Propædeutica ad sacram theologiam, Romæ p. 147: « Inspiratio cum iudicio et sine acceptatione, est proprie et vere inspiratio divina, sed est quid imperfectum in genere revelationis ».

Pesch, n. 410 p. 414: Quando Deus mentem suam homini manifestat, intellectui eius novas species imprimens et simul lumen infundens ad his speciebus recte utendum, seu ad formanda recta iudicia, habetur revelatio stricte dicta; quando vero solum lumen communicat ad speciebus iam præhabitis determinato modo utendum, est revelatio late dicta ».

19. — *Eo ergo sensu quo revelatio complectitur infusionem et specierum et luminis iudicativi, auctores negare solent, inspirationem esse revelationem* pro ipso inspirato. Multi autem concedunt, infundi aliquod lumen iudicativum novum (idque divinum). Antea utique in hagiographo adesse iam potuisse tum species de rebus a Deo per hagiographum scribendis, tum iudicium aliquod humanum certum de rebus per eas repræsentatis. Quodsi eiusmodi homo inspiretur, non requiri ut novæ species infundantur; superaddi autem debere lumini humano quod iam adsit, aliquod lumen divinum. De quo lumine utique, ut videbimus, diversæ hodie instituuntur disputationes.

20. — 4) Revelatio est aut scientia infusa aut revelatio magis proprie talis seu locutio. — Revelatio sensu latissimo sumpta alio modo dividitur *secundum lumen quod infunditur* in eam, in revelationem quæ facit rem videre seu *iudicare ex suis intrinsecis rationibus* vel e motivis creatis independenter ab auctoritate divina, et in eam quæ communicat rem *ut tenendam ob auctoritatem divinam.*

Modus loquendi. — Primum genus luminis si infunditur, revelatio dicitur sensu strictiori scientia infusa; secundum genus luminis si impertitur, magis communiter revelatio dicitur. Huius posterioris denominationis ratio hæc est. Nomina sæpe eligimus secundum ea quæ vel solent fieri, vel magis innotuerunt, vel magis ad eos spectant, qui nomen imponunt. Iamvero ea, quæ Deus humano generi qua tali communicavit, ei proposuit ut credenda ob suam divinam auctoritatem. Ergo hic com-

municandi modus in hoc ordine ad nos magis spectat, ad humanum genus universim sumptum magis attinet.

Exempla usus. — In lingua ecclesiastica, in tractatibus theologicis de fide, in theologia fundamentali solet revelatio sumi ut identica cum eo actu communicativo divino, cui ex parte audientis debet respondere fides. V. eadem exempla, quæ antea n. 14 p. 14 citavimus.

Ea manifestatio divina, quam ex usu magis communi revelationem dici ostendimus, sæpissime etiam in usu ecclesiastico nominatur locutio divina. Cf. § 2, p. 19 sq.

Si ergo revelatio, ut moris est, sumitur pro ea communicandi ratione, cui ex parte audientis respondet fides, patet inspirationem esse revelationem pro iis, ad quos Scriptura dirigitur. Deus enim, inspirando hagiographos, omnia asserta eorum per eos ipsos ut instrumenta sua ad nos scribendo direxit, ut a nobis ob suam divinam auctoritatem credantur.

Alia autem quæstio est num inspiratio sit revelatio etiam pro hagiographo in quantum est talis. In quam hic ingredi non iuvat.

21. — 5) Revelatio cum conscientia originis divinæ, sine ea conscientia. — In genere actionum nostrarum causæ atque intima natura non cadunt sub conscientia nostra, imo sæpe nonnisi difficile a nobis vel per ipsas conclusiones cognoscuntur. Ita, consentientibus auctoribus, Deus applicationem intellectus, infusionem specierum et luminis iudicativi ita temperare potest, ut homo qui ea patitur ignoret, hæc a Deo in se immitti. Quodsi fit, illa revelatio est imperfectum quid in genere revelationis. Etenim ille, qui tantum scit aliquid esse ita, certe id imperfectius scit, quam ille qui præterea scit se ad hoc vel illud iudicium formandum a Deo moveri. Hoc enim si scit, eius certitudo sublimior redditur.

22. — 6) Revelatio mediata, immediata. — Ex parte habitæ vel non habitæ *mediationis humanæ in ratione propositionis credendorum*, revelatio dividitur in mediatam et immediatam. Revelatio dicitur immediata vel mediata secundum quod in propositione credendorum inter Deum et cæteros homines aliquis homo mediat necne. Immediata vocatur respectu illius hominis, qui propositionem obiectorum, quæ sive ab ipso sive ab aliis credenda sunt, ab ipso Deo accepit, nullo alio homine mediante in hac ipsa propositione credendorum. Mediata nominatur respectu illius hominis, qui propositionem credendorum accepit non immediate a Deo sed mediante alio homine, qui ipse alio homine non mediante, immediate a Deo ea quæ credenda sunt designata accepit. — Notandum est, ex conceptu non repugnare

Deum uni homini ea quæ a cæteris credenda sunt tali modo designare, ut ipse ea credere sive propter auctoritatem Dei iis adhærere non possit. Ita v. g. Christus etiam secundum naturam suam humanam nullam ex iis veritatibus, quas nobis volente Deo credendas proposuit, ipse credere poterat. Vidit enim ea omnia in Deo.

Sequitur, influxum supernaturalem eum, quo ipsa designatio obiecti credendi a Deo perficitur, in revelatione immediata totum concludi in eo homine, cui immediate Deus aliquid manifestat, cæteros vero naturalibus viis ab illo ea credenda percipere posse, quæ Deus præternaturali modo soli illi priori communicaverat.

Exemplum usus loquendi universalis. — Pesch, n. 419 nota 2b ex mente multorum hoc profert: « Omnia dicta Scripturæ sunt a Deo revelata », scilicet nobis, revelatione mediata.

Inspiratio a nobis exhibetur ut revelatio divina, quæ respectu cæterorum, qui ab hagiographo distincti sunt, mediata dicenda est. Mediat enim hagiographus inter Deum et cæteros qui Scripturæ sententias ut a Deo scriptas credere debent, in ipsa propositione sententiarum credendarum.

23. — 7) **Revelatio sine relatione ad inspirationem, cum tali relatione eaque diversa.** — Revelatio dividi quoque potest secundum quod aut habet *coniunctionem* necessariam sive *cum ipsa inspiratione vel cum eius cognoscibilitate aut* talem coniunctionem *non* habet. Distingui possunt quatuor quasi species eiusmodi relationis:

Prima hæc est: *Veritas* quæ per locutionem stricte dictam *revelata* est, nullam relationem habet ad inspirationem, cum e consilio divino *neque primum deponenda sit in libro inspirato, neque per talem sit conservanda.* Eiusmodi v. g. est doctrina de divina institutione subdiaconatus, si quis putat, talem institutionem esse divinam.

Secunda species: Revelatio divina sive hagiographis sive aliis facta, iis *cum eo consilio divino impertita est, ut aliquando in libris inspiratis deponatur*, idque sive ab eo, qui revelationem ipse immediate accepit, sive ab aliquo alio. Et revera in hoc ordine aliquis finis principalis Scripturæ est, ut sit receptaculum divinitus præparatum ad revelationes divinas sive primo deponendas et conservandas sive saltem conservandas.

Tertia species: Si 1) Deus quædam per hagiographum ut credenda hominibus proponere statuit, si 2) decrevit ignorantiæ, quæ forte in hagiographo circa res communicandas invenitur, nullum aliud reme-

dium afferre, nihil remanebat nisi ut *ante scriptionem species earum sive per infusionem sive per compositionem ei communicaret.*

Quarta species: Si Deus aliquod scriptum inspirat, si præterea vult, homines illud ut inspiratum fide divina amplecti, necesse est eum *inspirationem talis scripti locutione proprie dicta revelare* idque sive cæteris hominibus, sive etiam hagiographo, secundum quod aut illis solis aut etiam ipsi hagiographo fidem in omnia in Scripturis contenta imponit.

§ 2. — De notione locutionis.

24. — Lit. *De locutione in genere* v. v. g. Aug. de magistro liber unus ML 32, 1193-1220. Expoliunt conceptum scholastici cum de locutione angelorum agunt, v. g. Th. 1 q. 107, eiusque commentatores, v. g. Suarez, de angelis l. 1 c. 28 n. 27-31 (ed. Paris.) t. 2 p. 265-7.

De locutione divina præcipue ibi agunt, ubi de eius modis tractant, v. g. Aug. de diversis quæstionibus ad Simplicianum l. 2 ML 40, 127-50; de Genesi ad litteram l. 12 ML 34, 453-86. — Th. de Prophetia 2. 2 q. 171-5 incl. — Vel ubi de obiecto fidei i. e. de auctoritate Dei loquentis agunt, uti præcipue Card. Io. de Lugo, de virt. fidei div. disp. 1 sect. 10 (ed. Lugd. 1646) p. 50-6: « in quo formaliter consistat actualis revelatio Dei ». — Sanctus Schiffini, de virtutibus infusis n. 49-54 p. 71-8. — M. Ios. Scheeben, Handbuch der Katholischen Dogmatik I Freiburg i. B. 1876 l. 1 pars I c. 1 § 1 p. 8-11. — Ex iis qui data opera apologetica tradunt cf. v. g. Guilelmus Wilmers, De religione revelata ll. 5 Ratisbonæ 1897 n. 56-62 p. 46-51. — Ign. Ottiger, Theologia fundamentalis Friburgi B. 1897 p. 41-9.

De distinctione inter locutionem *simpliciter docentem et testantem* v. g. Aug. de mag. l. c. c. 12 n. 40 col. 1217-8, ubi locutionem simpliciter docentem describit. — Th. Qq. disp. de verit. qu. 11 de magistro art. 1 in corp. versus finem.

De distinctione inter locutionem, in qua *motivum adhaerendi* est *evidentia attestationis* ab ea, in qua motivum adhaerendi est *auctoritas attestantis* v. Tilm. Pesch, Inst. logic. I Friburgi B. 1888 n. 498 p. 856. — V. Bainvel, La foi et l'acte de foi 1898. p. 22 sq. — Lud. Billot, De virtutibus infusis Romæ 1905 c. 1 § 2 p. 204-13. — Christ. Pesch, Theol. Zeitfragen, 4 Folge, Freiburg i. B. 1908 p. 123-30.

25. — Inspiratio, ut vidimus, est is influxus divinus, quo Deus uno homine ita utitur, ut per eum vere humano modo scribentem ipse cæteris hominibus scribat. Scriptio vero est locutio signis scriptis facta.

Unde conceptus de quo intelligendo in nostro tractatu quam maxime agitur, est ipsa locutio, tum in genere, tum divina, tum humana.

De quibusdam quæ locutioni Dei et hominis communia sunt.

26. — **Definitio locutionis.** — Locutio est *actus mentis, quo quis directe, non tantum indirecte, id agit, ut alius cognoscat, quid ipse loquens de aliqua re iudicet, vel quid velit.*

Directe id agit, qui eiusmodi signa in altero producit, quibus directe sua loquentis mens exhibeatur, et tantum per eam cognitam, i. e. indirecte et per consequens, ipsæ res manifestentur. Indirecte vero aliqua causa efficiens, quæ ratione prædita est, aliquando mentem suam manifestat, si aliquem effectum producit, e cuius natura cognita alius directe ad eius causam qua talem cognoscendam perducatur. Quæ si insuper ut *ratione prædita effectum* produxit, tunc utique per rei productæ naturam cognitam, ergo indirecte et per consequens, etiam cognoscitur quid producens in mente habuerit, quid intenderit. Prior ille modus dirigendi conceptum suum ad alios dicitur *locutio proprie talis*, secundus locutio improprie talis. Quare creatio non est locutio Dei.

27. — *Docemus, Deum, cum Scripturam inspirat, per hagiographum cæteris hominibus locutum esse proprie, non improprie.*

Manifestamus locutione aut iudicia nostra aut volitiones nostras. Illa per se formis enuntiativæ orationis exhibemus, has forma imperativa, optativa, etc.

In iudiciis enuntiativis veritas vel falsitas duplex haberi potest. Veritas seu falsitas simpliciter, seu *logica* habetur, secundum quod subiectum prædicato obiective convenit, necne; *moralis*, si iudicium quod verbis significatur, congruit cum eo, quod homo intrinsecus se habere scit, aut ab eo diversum est. Patet, a locutione divina utramque falsitatis speciem arcendam esse.

Notandum quoque est, nos, cum explicite volitionem nostram alteri manifestamus, implicite quoque iudicium aliquod prodere. Est vero illud, nos de facto in nobis habere talem affectum. In quo iudicio falsitas est, si talem affectum non habemus, veritas si eum habemus. Id quod notasse iuverit ad solvendam quæstionem num quid et quid in affectibus sub inspiratione expressis fide divina credendum sit.

Deus quoque inspirando tum sua iudicia tum volitiones suas nobis manifestat.

28. — **Locutio simpliciter docens, locutio attestans assumenda aut ob motivum evidentiæ attestationis sufficientis aut ob auctoritatem loquentis.**

Divisio hæc est *secundum motivum* ob quod rei dictæ adhæretur. — Habetur nempe eiusmodi locutio in qua is qui loquitur tantum ad eum finem iudicium suum eiusque probationem proponit, ut audiens, loquentis demonstrationem sive a priori sive ex effectibus institutam, sequens atque eam rectam esse percipiens, *propter hanc vim demonstrationis intellectam iis assentiat quæ loquens dixerat.* Tali modo docemus v. g. mathesim, physicam. — Habetur etiam alia locutio in qua iudicii pronuntiati veritas vel non potest iudicari sive a priori sive ex effectibus, vel in qua saltem is, qui loquitur intendit, ut ea *ob aliud motivum, rei dictæ extrinsecum*, ab audiente assumatur.

Hoc motivum rei dictæ extrinsecum iterum potest esse duplex. Potest esse primo *evidentia attestationis sufficientis ad ingerendam persuasionem, rem hic et nunc dictam a vero non alienam esse.* Quæ evidentia attestationis habetur, cum probatur, eum qui loquitur, primo hic et nunc non mentiri, quamvis v. g. notus sit ut homo mendacissimus; secundo eum hic et nunc non errasse, cum v. g. agatur de re observatu plane facillima. In quo assensu non includitur ullum obsequium loquenti libere præstitum, quo eius veracitatem et scientiam honore prosequamur. Assensus qui huic evidentiæ attestationis correspondet, utique dicitur fides, at aliquando magis determinate vocatur fides historica seu scientifica, seu etiam alia propria nomina habet.

At potest esse etiam aliud motivum extrinsecum, situm *in auctoritate loquentis*, i. e. in veracitate loquentis et scientia generali cognita, ob quas perfectiones loquens dignus est, cui asserenti libere plene fidamus atque assensum ponamus, cuius firmitas respondeat ipsi excellentiæ veracitatis et scientiæ loquentis. Assensus ob tale motivum dicitur fides ethica, seu fides simpliciter, præcipue si in theologia de Deo loquente sermo est. Talem enim assensum Deus nobis loquens a nobis postulat, præstitum ob suam auctoritatem, commensuratum infinitati suæ scientiæ et veracitati, non vero evidentiæ creatæ attestationis sufficientis.

Hic est usus loquendi theologicus, secundum quem universaliter receptum est, ut omni fidei ex parte nostra correspondeat locutio vel attestatio proprie dicta ex parte Dei.

Dicimus inspirationem esse locutionem divinam auctoritativam ad nos directam, cui ex parte nostra respondeat fides ob auctoritatem loquentis.

De quibusdam quæ propria sunt ei locutioni quæ ad homines vel simul ab hominibus et ad homines dirigitur.

29. — Cum Deus non per angelos, sed per homines, non angelis sed nobis hominibus loquatur, iam a priori exspectandum est, quædam, quæ locutioni humanæ propria sunt, in modo elocutionis iudiciorum divinorum inveniri. Unde quædam talia humanæ locutioni propria breviter exponenda videntur.

30. — Cur voces externas formemus. — Ex imperfectione nostra provenit, ut non possimus mente nostra immediate in mentem alterius agere, sed tantum mediante corpore et nostro et alterius. — Unde neque possumus alteri loqui seu conceptus nostros ad alterum dirigere, nisi mediante quadam re corporea, quam uti vicariam nostri conceptus mediante corpore formamus, formatam mediante motu corporali ad alterius sensum transmittimus, ut tandem mediantibus alterius sensibus in intellectum eius penetret. Hoc quasi idolum corporeum vocem vel verbum vocare solemus. Aliquando e nutibus, at ordinario e sono oris vel delineamentis scriptis constat.

31. - De vocis elemento materiali, spirituali. — Hoc ergo verbum duas habet quasi partes, materialem seu corporalem unam, aliam quasi spiritualem. *Pars materialis est corporeum illud quod formamus, pars spiritualis est ipsa significatio.* Spiritualis autem hæc pars dicitur, non ac si esset accidens spirituale in corporali substantia inhærens, sed in quantum significatio ordinem materiæ transcendit atque in ordine intentionum intellectus invenitur. Quo sensu Th. 3 q. 62 a. 4 ad 1 ait: « in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum [hæc vis] procedit a conceptione mentis ». Est etenim significatio ab intellectu qui eam rei materiali imposuit.

32. — De vocis elemento materiali, formali. — Sub alia consideratione in verbo externo iterum partes sunt duæ: materialis una, formalis alia. *Sonus* seu delineamentum se habet ut *pars materialis, in quantum est determinabilis*, aliquid aptum quod in signum elevetur; *ipsa vero significatio se habet ut pars formalis, in quantum determinat sonum ut sit verbum*, ut significet. Unde est, ut pro diversitate institutionis seu impositionis significationis idem sonus in una lingua significare possit unam rem, in alia lingua rem plane diversam. Neque repugnat, ut in una eademque lingua diversi sonus etc. eandem significationem habeant.

Linguæ ipsæ vero per se non diversificantur secundum sonos externos in se sumptos, quasi hi necessario inter se essentialiter differre debeant; neque secundum ipsos conceptus rerum qui per signa exprimuntur; sed secundum quod in una lingua hic sonus, in alia alius in signum eiusdem conceptus, omnibus hominibus forte communis, elevatur. Unde S. Augustinus Serm. 288, 23 n. 3 ML 38, 1304-5 ita ait: « Verbum, si non habeat rationem significantem, verbum non dicitur... Informis quidam sonus est, gestans vel inferens strepitum auribus sine aliqua ratione intellectus... Res ipsa, quam vis dicere, quæ corde concepta est, non est alicuius linguæ, nec græcæ, nec latinæ, nec punicæ nec hebrææ, nec cuiusquam gentis. Res est tantum corde concepta, parata procedere. Ergo, ut dixi, res est quædam, sententia quædam, ratio corde concepta, parata procedere, ut insinuetur audienti... Remove diversitatem auditorum, et verbum illud, quod corde conceptum est, nec græcum est nec latinum, nec punicum, nec cuiusquam linguæ ».

33. — De duplici specie in mente nostra: specie rei, specie vocis qua res significatur. — Sicuti in intellectu formamus ideam de re ipsa, quæ per signum externum repræsentata est, puta de pomo vel de anima, ita in eadem facultate formamus quoque speciem de verbo externo rem ipsam repræsentante, idque tum de parte eius formali, scilicet de significatione, quæ eius quasi anima est, tum de parte eius materiali, seu de sono vel simili quadam re, quæ eius quasi corpus dici potest. Atque non tantum in intellectu, verum etiam in phantasia species vocis formetur oportet.

34. — Locutio ore, locutio scripto. — Locutio ad homines solet dirigi aut signis quæ auribus sonant et, si de hominibus loquentibus sermo est, generatim ore proferuntur, aut signis scripto consignatis.

Cum de inspiratione Scripturæ sermo sit, non potest non agi de *eo solo actu, quo Deus hominibus loquitur mediantibus signis scriptis.*

Id autem a limine tractatus notare iuvat, ne plurima testimonia in decursu tractationis occurrentia male intelligantur, sæpissime in sermone humano adhiberi vocem « loqui », « dicere » etc. etiam de actu quo mentem nostram exhibemus signis non ore, sed scripto prolatis. V. g. interrogamus: « Quid *dicit* in sua epistola? », vel etiam, si e circumstantiis patet agi de epistola, vel si distinctio inter signa scripta et ore prolata hic et nunc nullum momentum habet: « Quid dicit? ». Unde in iis testimoniis tractatus nostri, in quibus hæc distinctio premenda est, e circumstantiis eruendum est, num intelligatur locutio scripto an ore facta.

De quibusdam quæ speciatim ad locutionem divinam pertinent.

35. — Deus uti homo tunc sensu stricto loqui dicitur, quando directe mentem suam manifestat. Patet Dei iudicia et volitiones nulli creaturæ posse exhiberi prout sunt immediate in se ipsis. Sunt enim in se ipsis ipsa essentia divina. Hanc autem nulla creatura videre potest. Unde nihil remanet quam ut nobis exhibeantur in aliquo signo creato. Quo signo directe iudicia Dei exhibentur, indirecte res ab eo iudicatæ.

De locutione Dei immediata.

36. - **Locutio divina mediante vel non mediante lingua.** — Signa creata mentis suæ, quæ Deus in tali locutione sive infundere sive, si iam adsunt, saltem componere atque ordinare debet, possunt eiusdem rationis esse atque ea, quibus nos homines mentem nostram manifestamus, i. e. eiusmodi species quæ immediate repræsentant verba et per verba id quod illa significant. Cuius generis species si infundit Deus, lingua uti dicitur. — At potentia eius ad id quoque se extendit, ut eiusmodi conceptus intellectui infundat, quæ immediate res referant, non vero verba quibus res repræsentantur. Qua ratione si procedit, sine lingua nobiscum loquitur.

37. — **Locutio per signa producta extra hominem vel in homine, idque diverso modo.** — Potest utique Deus procedere uti nos atque in rerum natura physica producere, vel, si iam præexistunt, ordinare aliqua entia corporea, auribus sonantia vel oculis exhibita, quæ entia corporea speciem sui sensibus et significationem suam intellectui transmittant. At cum Deus hominis facultatibus intime præsens sit, cumque ipse immediate per se ipsum efficere valeat, quidquid creaturæ inter se agere possunt, ideo id quod ordinarie per talia entia corporea fit, immediate in sensibus vel phantasia vel intellectu imprimere valet.

De locutione Dei mediata.

Ex parte habitæ vel non habitæ mediationis humanæ in propositione credendorum locutio dividitur in immediatam vel mediatam. Circa quam divisionem idem omnino dicendum est atque diximus circa revelationem immediatam vel mediatam n. 22 p. 17-8. Præterea hæc addenda sunt:

38. — **Locutio in qua homo est causa aut principalis, aut instrumentalis.** — Deus alicui aliquam revelationem dare potest,

quam deinde homo, a se ipso solo impulsus, proprio Marte, aliis refert. In hac locutione homo est causa principalis locutionis suæ, cuius obiectum utique est revelatio divina. At alia quoque formata est notio locutionis humanæ, ea scilicet ut Deus ita impellat hominem ad loquendum, ut vi huius impulsus homo quidem fiat causa instrumentalis ipsius elocutionis rei, quam edicit, quamque Deus per eum loquentem ad alios ut suam, divinam, dirigere vult, Deus vero huius ipsius elocutionis causa principalis sit. Quod si fieret, homo sensu subiectivo fieret quasi os Dei, per quod Deus ad cæteros homines loqueretur. Ideo quæ homo tali modo eloqueretur, vi originis, quia ex tali impulsu divino elocutio procederet, fierent verba Dei. Neque vi conceptus repugnat, quominus Deus ita impellat hominem ad enuntianda ea quæ homo iam novit.

Demonstrabimus, *inspirationem esse eiusmodi influxum*, per quem verba auctoris humani ad nos scripto directa *instrumentaliter sint scripta ab homine, principaliter a Deo per hominem mentem suam nobis manifestante.*

39. — Locutio, in qua homo Deo ut instrumentum serviret aut qui aut qua homo. — De potentia absoluta Deus duplici modo hominem in instrumentum physicum suæ locutionis adhibere posset, aut qui hominem aut qua hominem. Priorem modum adhiberet, si scribendo per hominem tantum iis facultatibus hominis in illa ipsa scriptione uteretur, quæ ei *cum entibus inferioribus communes sunt*, speciatim potentiis motricibus, ut iis mediantibus sonos vel signa scripta formaret, quibus sua, Dei sensa, ad hominés cæteros dirigenda, significarentur. Alterum modum adhibet, si ad opus scribendi iis facultatibus hominis utitur, quibus *homo qua homo distinguitur*, i. e. eius intellectu et voluntate, atque cæteris facultatibus in tantum, in quantum hoc cum tali ratione instrumenti humani qua humani convenit.

Ostendemus, revelationem eam rationem instrumenti homini *in condenda Scriptura ascribere, ut qua homo rationalis creatori suo deserviat.*

40. — Locutio instrumentalis sine conscientia, cum conscientia. — Aliquando actuum nostrorum, sive sensiles illi sunt sive ipso intellectu et voluntate perficiuntur, nobis conscii non sumus. Quidam auctores influxum inspirativum eum esse putarunt, ut ob hunc ipsum illapsum Spiritus Sancti hagiographi ita a mente propria quasi alienarentur, ut nescirent quid scriberent. Simul libertatem a tali scriptione abesse statuebant. Talem inspirationem hodie manticam vo-

care solent ob similitudinem cum eo statu, in quo ii versari credebantur, qui a diis ad oracula edenda (μαντεύεσθαι) moverentur. Cf. Dausch p. 20-1.

At alius est conceptus inspirationis, quem nos demonstrandum suscipimus. Demonstrabimus, *inspirationem stare cum conscientia scriptionis.*

41. — Locutio instrumentalis ea, in qua instrumentum scit, se a Deo moveri, in qua hoc nescit. — « Movetur.... mens prophetæ non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum; et quandoque quidem ad omnia tria simul, quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum.... Cum ergo aliquis cognoscit se moveri a Spiritu Sancto ad aliquid æstimandum, vel significandum verbo vel motu, hoc proprie ad prophetiam pertinet: cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus » 2. 2... qu. 173 a. 4.

Generatim statuunt auctores *modum* quo Deus hagiographos adhibuerit in ratione instrumenti, *non fuisse eum ut vi ipsius inspirationis scirent se a Spiritu Sancto moveri.* — Cum quæritur num aliunde auctores sacri intellexerint se moveri a Spiritu Sancto, non plane eadem est omnium sententia.

§ 3. — De ratione auctoris.

42. — Deus quia libros sacros conscripsit, in Traditione atque solemnibus ecclesiæ definitionibus eorum auctor dicitur. Unde de auctoris voce atque notione quædam indicanda sunt.

43. — Vox auctoris eiusque diversæ significationes. — De qua re hæc habet Ægidius Forcellini, Totius Latinitatis Lexicon s. v. ed. Prati I 1858 col. 472-3:

Notat, probabilissimum esse, vocem etymologice derivari a verbo augendi. Ea quæ de diversis significationibus vocis fusius proponit, breviter comprehendimus, verbis ipsius Forcellini servatis. Generalis significatio est: 1) qui auget, i. e. gignit, producit. Ita v. g. Tertullianus l. 5 adv. Marc.: Christus viri auctor = *creator*. Speciatim in hoc sensu auctor rerum, ut is qui res gessit, opponitur scriptori earum. — 2) Sæpissime sumitur pro *scriptore* (scrittore, autore [auteur, author, Verfasser]), item sæpe de eo qui aliquid dicit. — 3) Est idem atque *venditor* seu alienator. Nam qui alteri quidpiam dat, auget eum ea re atque ditiorem facit. — 4) Auctor dicitur ille, in quo est *princeps consilium et iuridica facultas alicuius rei faciendæ*: ad quem pertinet approbare interventu et voluntate sua rem

aliquam vel suo nomine, vel alterius, qui ea facultate careat. Hinc auctorem fieri et auctorem esse est rem aliquam facultate a iure concessa et voluntate approbare et ratam esse iubere. Auctor et suasor in eo differunt, quod suasor consilium solummodo et adhortationem adhibet; auctor vero addit auctoritatem et aliquando etiam imperium. Hinc in suasore solum quid dicat attenditur; in auctore dignitas quoque ac potestas.

44. — Cum *hoc tractatu* probare intendimus, Deum esse auctorem Scripturæ, intelligimus auctorem eo sensu qui sub n. 2 positus est, i. e. *hominem qui scribendo nobis sensa sua manifestat.*

In scriptione ipsa materialis formatio signorum aliquando ab ipso auctore fit, aliquando sub eius directione ab alio homine vel ab ente non intelligente v. g. ab aliqua machina. Hominem qui pro alio talia præstat nunquam dicimus auctorem, aliquando tamen ob ipsam materialem formationem signorum eum vocamus scriptorem. Generatim in linguis recentioribus alio nomine vocant eum qui vere est auctor libri, alio, etsi simili, eum qui auctori in signis materialibus formandis instrumentaliter inservit.

§ 4. — De notione libri Θεοπνεύστου seu inspirati atque inspirationis.

45. — Uti vidimus n. 3-4 p. 9-11, causa ontologica cur liber, quamvis ab homine scriptus sit, tamen Deum habeat ut causam principalem, vocatur divina inspiratio seu simpliciter inspiratio. Unde de ea sæpissime in fontibus theologicis sermo est. Θεόπνευστος dicitur Scriptura in ipsis libris sacris (2 Tim. 3, 16); libros sacros « spiritu sancto inspirante » conscriptos esse in Concilio Vaticano definitum est. Quare de voce atque notione inspirationis agamus necesse est.

Inspiratio *active sumpta* dicitur ea actio Dei, qua horum librorum auctor per hominem existit. Motio illa divina ab homine scribente recepta vocatur inspiratio *passive sumpta.* Liber ipse, qui procedit ab homine in quantum inspirationem passivam recepit, vocatur inspiratio *terminative sumpta.*

De voce Θεοπνεύστου eiusque significatione.

Lit. Hermann Cremer. Biblisch-theologisches Wörterbuch der neutestamentlichen Gräcität [9] 1902 p. 480-1. — Pesch n. 4 p. 3-5.

46. — Vox Θεόπνευστος **etymologice** per se potest significare tum « a Deo inspiratus » tum « Deum spirans ». De facto tamen semper significare videtur « *a Deo inspiratus* ».

Nam generatim adiectiva verbalia quæ desinunt in τος et speciatim ea, quæ composita sunt cum θεος, sensum passivum habent. Unde hunc sensum statuunt tum *grammatici* ut Winer-Moulton, Grammar of New Testament Greek [3] 1882 p. 120; *lexicographi* ut Grimm-Wilke-Thayer, A Greek-English Lexicon of the New Testament 1888 Edinburgh; Wilke-Grimm, Lexicon Græco-Latinum in libros Novi Testamenti [4] 1903 Lipsiæ s. v. Excipitur forte unus Cremer.

Patres Graeci quos indolem linguæ suæ apprime cognovisse certum est, idem statuunt. Ita vocem adhibet primus Clemens Alex.; ita semper Origenes. Cf. Prat, Origène, 1907 p. 117 nota.

47. — Usus vocis. — *Usus profanus* vocis, qui cum certitudine statui posset, utique *rarissimus* est.

In literatura Hellenistica Oracula Sybillinica l. 5 v. 406 ed. Ioh. Geffcken C. B. t. 8 1902 p. 124 homines dicuntur θεοπνευστοι, quia a Deo vitam immissam habent; v. 308 ib. p. 119 fontes calidi eodem nomine vocantur, quia spiritu Dei moventur atque eo moti et acti ebulliunt. Probabilius est, has partes libri quinti a Iudæis fere tempore apostolico conscriptas esse.

In *S. Scriptura* hæc vox nonnisi semel legitur, scilicet 2 Tim. 3,16. De quo loco sermo recurret.

Apud *Patres Græcos* vox frequentissima est. Præcipue, etsi nequaquam unice, de sacris scripturis adhibetur.

Ita v. g. in ea anthologia ex operibus Origenis, quam S. Basilius et S. Gregorius Nyssenus composuerunt, quæque Philocalia inscribitur, doctrina Origenis de inspiratione Scripturae in Periarchon his verbis refertur: Περὶ τοῦ θεοπνεύστου τῆς γραφῆς MG 14, 1309. — S. Athanasius hunc terminum adhibet de magistris christianis qui cum Scripturis consonantia docent: τῶν αὐταῖς ἐντυγχανοντων θεοπνεύστων διδασκάλων. — Imo Clemens Alexandrinus terminum æquivalentem ad ipsa ethnicorum scripta applicat Protrepticus c. 6 MG 8, 180 A, ed. Stählin CB 12 p. 55 linea 14: ἐπιπνοίᾳ θεοῦ πρὸς αὐτῶν μὲν ἀναγεγραμμένα.

Ipsi scriptores Sacræ Scripturæ expressione simili vocari solent v. g. θεοφορούμενοι vel πνευματοφόροι (a Deo acti, vel Spiritum ferentes), ipsa inspiratio Dei activa ἐπιπνοια. Rationem nominis affert Origenes c. Cels. l. 5 n. 60 M. G. 11, 1276; C. B. t. 3 ed. Paul Kœtschau p. 63 lin. 22 « quia confitemur scripturas divino Spiritu conscriptas esse ».

Vox et diversæ significationes vocis inspirandi.

48. — *Vulgata* terminum θεόπνευστος 2 Tim. 3, 16, item vocem φερόμενοι (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου) vertit vocabulo inspirandi.

Lit. Pesch, p. 1-6. — Dausch, p. 1-2. — Forcellini ed. Prati 1865 s. v. — Ios. Kleutgen, R. P. Leonardi Lessii S. I. theologi, De divina in-

spiratione doctrina e documentis magnam partem ineditis illustrata et ponderata, in: Gerardus Schneemann S. I., Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus, Friburgi Brisgoviæ 1881 p. 474-5.

Significatio generalis vocis *propria* est: immitto ventum, *translata*: immitto (aliquid in genere).

Itaque inspiro proprie est intro spiro, spiritum seu ventum immitto; soffiar dentro. Cels. 7. 27. Siqua (medicamenta) erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. — Cum accusativo... Vulg. Interpr. Gen. 2, 9. Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ... — Translate est immittere, infundere: inspirare, infondere. Virg. 1 Aen. 692 occultum inspires ignem... Curt. 4, 13 inspirare fortitudinem... Vulg. Interpr. Eccli. 9, 12 Sapientia filiis suis vitam inspirat », Forcellini, l. c.

Capitur ergo, cur voce inspirandi a Vulg. vertatur hebraicum illud « insufflavit in nares eius halitum vitæ », et græcum illud: « τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν ἐνεργοῦσαν ». — Etiam *personæ ipsæ inspiratæ* dicuntur eo quod implentur ea re, quæ iis immissa seu inspirata esse concipitur. « Iustin. 43, 1: Unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur; h. e. divino spiritu œstroque impleri », ib.

49. — Usus technicus theologicus vocis inspirationis is est, ut in genere significet *aliquam vim divinitus immissam*, aliquam motionem a Deo procedentem et in anima susceptam. In specie diversissima significat.

Apud *Patres* latinos hæc vox multiplici sensu exhibetur.

Primo *si ordinem intellectus consideramus:* Aliquando ita vocant auxilium divinum *ad apte conscribendum librum quendam piratum*, in quantum vera religiosa continet. Ita v. g. S. Gregorius M. explicationem libri I Regum aggreditur: « spe divinæ inspirationis » Prœm. n. 5 ML. 79, 21.

Sæpe illud *assistentiæ* auxilium, quo cavetur, *ne concilia universalia ecclesiæ errent.* Hac ratione S. Leo M. Epist. 82 n. 2 ML. 33, 276 de decretis concilii Chalced. ait: « Nihil posse huic regulæ, quæ ex divina inspiratione, processit, addi ».

Aliquando eam *speciem revelationis* (locutionis divinæ sensu propriæ per signa nobis exhibitæ), *quæ signis non externis sed internis* fit. Hoc modo quidam intelligunt Cassiodorum in Prolog. super Psalt. c. I ML. 70, 12.

Si vero *ordinem voluntatis consideramus*, inspirationem vocant *eam gratiam supernaturalem qua velimus sicut oportet ad tendendum in finem supernaturalem.* Ita Arans. II c. 7 de Spiritus Sancti « illumina tione et inspiratione », loquitur. Qua in definitione secundum theologos illuminatio ad intellectum, inspiratio ad voluntatem pertinere videtur.

Imo omnis influxus salutaris seu ad ordinem supernaturalem pertinens *sive in intellectum sive in voluntatem* dici solebat inspiratio Spiritus Sancti.

50. — *Theologi dogmatici* aliquando modum loquendi etiam magis restrictum sequuntur, cum non omnem influxum supernaturalem omnibus Christianis communem sed tantum *extraordinarium charismaticum* inspirationem dicunt. Præterea ex his ipsis influxibus charismaticis aliquando tantum *revelationem internam* ita vocant. Tandem neque omnem revelationem internam ita nominant, sed tantum *eam, cum qua esset coniunctus impulsus divinus ad loquendum*. Postremo jam *soli impulsui divino communicandi vera* etsi per revelationem accepta non sint, nomen specialissimum inspirationis imponunt.

De significationibus diversis, quibus vox inspirationis in ipso tractatu de Scriptura adhibebatur, hæc breviter comprehendit Kleutgen o. c. p. 475. Quoniam, « cum de Scriptura sermo est, inspirationis vocabulo significamus id, quod ei divinam illam auctoritatem conciliat; alii quidem inspirationem dicunt impulsum seu instinctum ad scribendum, alii hunc impulsum una cum lumine supernaturali mentem illustrante, et utrique hi ab ea assistentiam discernunt. Quidam contra eodem vocabulo etiam assistentiam comprehendunt. Nonnulli denique recentiores vim eius ad confirmationem extendunt, adeoque de inspiratione antecedente, comitante et subsequente loquuntur. Antecedentem enim vocant divinum ad scribendum impulsum, comitantem assistentiam divinam, consequentem vero confirmationem. Qui modus loquendi, si tolerari potest, propterea quod ea omnia, quæ unius vocabuli « inspirationis » significatione complectuntur in re ipsa coniuncta sunt; ii tamen contra ius et normam loquendi faciunt, qui vel assistentiam vel confirmationem per se solam inspirationem appellant ».

In iure canonico, c. 42 X. tit. 6 *electio* Pontificis facta postquam persona eligenda *designata est per revelationem*, dicitur fieri per inspirationem; facta vero *per unanimem conspirationem* omnium electorum in personam certam eligendam, nulla antea habito inter se consilio, dicitur electio « *quasi per inspirationem* ».

In *vita cotidiana* poemata, quæ extraordinarii ingenii signa præ se ferunt, inspirata dicimus. Similia alia.

52. — Cum *in hoc tractatu* probare atque explicare intendimus, Deum esse inspiratorem Scripturæ, sumimus inspirationem *pro eo influxu divino in hagiographum, vi cuius libri sacri, quamvis ab hominibus conscripti sint, tamen vere Deum habeant auctorem, prout ecclesia catholica rationem auctoris divini iis libris applicat.*

§ 5. — De voce et notione prophetæ.

53. — **Lit.** De etymologia et usu *in Scriptura* cf. Cremer o. c. s. v. — De prophetiæ voce et conceptu speciatim *in Vetere Testamento* Cornely. Introductio II 2, dis. 3 c. 1 p. 267-80; Compendium dis. 6 c. 1 p. 373-6,

— Pesch n. 377-81 p. 382-7. — De usu *in Novo Testamento* Grimm-Wilke-Thayer o. c. s. v. 553-4. — Wilke-Grimm, o. c. s. v. p. 386. — Cornely, in 1 Cor. Paris 1897, ad c. 1 v. 14 et sq. p. 410-5. — De usu *apud Patres* Joh. Casp. Suicerus Thesaurus ecclesiasticus e Patribus græcis 1682 Amstelodami II col. 870-3 s. v. — Pesch n. 395 p. 400-1.

Qui ore sive libris sacris scribendis nomine Dei loquebantur, apud Patres prophetæ dicebantur, scriptura qua talis prophetia, inspiratio donum propheticum. Porro S. Thomas eiusque commentatores donum hagiographis proprium tangebant quando de prophetiæ diversis speciebus agebant. Unde de prophetiæ voce et notione quædam adiungenda sunt.

54. — Derivatur vox προφήτης **a** πρό **et** φημί.

Repetenda est vox a radice φη loqui. Cf. Leo Meyer, Handbuch der griechischen Etymologie III Leipzig 1901 p. 351. — De præpositione πρό cf. id. II 1901 p. 632, Cremer l. c. Quæ præpositio non significat hic eloqui res antea quam fiant, sed aut generatim proloqui, aut ante alium (localiter) loqui, aut loco alterius, aut similia. De qua re sunt diversæ doctorum sententiæ.

55. — Usus theologicus vocis præcipue duplex. — Duæ præcipue sunt notiones prophetæ in fontibus theologicis adhibitæ. Unus conceptus prophetæ is est, quem hodie generatim ante oculos habent, si de prophetis loquuntur, quique in theologia fundamentali generatim adhibetur, quando de motivis credibilitatis, v. g. de prophetiis Messianicis vel similibus sermo est. Qui conceptus ita definitur: *homo qui futura quæ a Deo didicit annuntiat.*

Alius est, qui in Scriptura, apud auctores profanos, primis ecclesiæ sæculis quam maxime in usu erat atque hodie in quibusdam partibus dogmaticæ adhuc supponitur. Qui hoc modo exibetur: *Homo qui a Deo motus, nomine Dei loquitur.* Quid dicat, num præsentia, futura, præterita; num porro ea quæ ei iam antea naturaliter nota erant an ea, quæ sibi revelata erant; tales differentiæ hunc conceptum prophetiæ non ingrediuntur. — Ab hoc conceptu prophetiæ ad priorem quem nominavimus ideo facile devenitur, quia ex iis, quæ propheta dicit, futura quam maxime oculos feriunt atque influxum Dei in mentem prophetæ clarissime manifestant. — *Hunc generaliorem conceptum prophetiæ ante oculos habere solent Patres et theologi cum auctores humanos Scripturæ prophetas dicunt.* Unde de usu vocis pro hac notione generali plura notamus.

56. — Usus vocis pro notione generaliore. — In *græcitate profana* propheta, prout cum etymologia convenit, significat eum, qui nomine alterius loquitur.

Quare præcipue interpretes oraculorum divinorum dicebantur prophetæ. Ita v. g. Pindar, Fragm. 118: μαντεύεο Μοῖσα, προφητεύσω δ'ἐγώ. — Imo etiam alii interpretes vocabantur προφῆται; ita v. g. Lucian. Vitarum auctio, Diogenes respondet: ἀληθείας καὶ παρρησίας προφήτης εἶναι βούλομαι.

57. — Idem est modus loquendi *apud LXX.* Etenim Deus Exod. 7, 1. 2 data opera explicat vim vocis hebraicae nabi, cuius vocis etymologia quidem minus certa est, sensus autem omnino correspondet ei generaliori significationi vocis προφήτης, quam diximus, quamque LXX fere sine exceptionibus voci nabi substituunt. Jam vero eo loco Exodi hoc legitur: « Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: et Aaron frater tuus erit propheta tuus ». Cur? « Tu loqueris ei (Aaroni) omnia quæ mando tibi et ille loquetur ad Pharaonem ». Cum quo loco plurimi alii loci optime congruunt.

Eadem erat definitio generalior prophetiæ *in auctoribus Judæis non inspiratis.* V. g. Philo, De Monarchia §. 9, ed. Cohn et Wendland V p. 16: « Propheta a Deo inspiratus oracula et prophetias edit, nihil proprii loquens. Neque enim, si loquitur, capere potest ipse raptus et inspiratus, sed quæ inspirantur, loquitur, quasi alio sufflante. *Prophetæ enim sunt interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea, quæ vult* ». Item in scripto: Quis rerum div. hæres §. 51-53 n. 249, ead. ed. III 56, ait: « Propheta enim nihil proprii eloquitur sed aliena, alio omnia insufflante ».

58. — Modus loquendi generalior etiam occurrit in *Novo Testamento.* De prophetis Novi Testamenti hæc habet Cornely, Com. in 1 Cor. Paris, 1890 in commentatione adiuncta ad v. 14, 1 quæ inscribitur « De linguarum dono et prophetia inter se comparatis », scilicet a S. Paulo c. 14 v. 1-25: « Multo minus vero (atque prophetæ Veteris Testamenti) prophetæ Novi Testamenti annuntiatores rerum futurarum definiri possunt. Eodem fere modo quo antiqui, etiam novi prophetæ prædicatores erant a Spiritu Sancto inspirati, qui exhortationibus et monitis suis neophytas ad virtutum exercitium excitabant stimulabantque (cf. 14, 3); quod ut maiore cum auctoritate et efficacitate præstare possent, Spiritus Sanctus occultis auditorum rebus revelatis sese in prophetis loqui aliquoties manifestabat (14, 24 sq.; cf. S. Irenæus c. hær. V. 6, 1), interdum etiam res futuras per eos annuntiabat ». p. 414.

59. — *Apud Patres* hic conceptus prophetæ sat communis est. Sæpe prophetiam habent cognitionem tum præteritarum rerum tum præsentium tum futurarum. Cf. v. g. Ps. – Clem. homil. 2, 6; S. Chrysostomus in Gen. 2, 2 MG 53, 27. Theod. Zahn in: Geschichte des Neutestamentlichen Kanons I, 1. 1888 p. 94 nota 2 e studio terminologiæ quam Clem. Alex. in operibus suis adhibet, hoc iudicium hausit: « Tractatui περὶ προφητείας, quem Clemens componere volebat, recentiores fere hunc titulum apponerent:

de inspiratione Sacrarum Scripturarum ». S. Augustinus vero, Quæst. in Heptat. 2 c. 17 M. L. 34, 601 ait: « nihil esse prophetam nisi *enuntiatorem verborum Dei hominibus*, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire ».

60. — Generaliorem quendam conceptum prophetiæ, qui complectitur rerum divinarum cognitionem, elocutionem, virtutum operationem etiam ponunt *Scholastici*. Cf. Th. 2. 2. q. 174 a. 4. E cæteris Scholasticis v. v. g. Suarez, de fide disp. 8 s. 3 n. 1-8 ed. Paris t. 12 p. 226-8 ubi sex significationes vocis prophetæ exponit.

Art. II.

DE OBIECTO FORMALI QUO TRACTATUS NOSTRI.

Obiectum formale quo tractatus nostri est verbum Dei ecclesiæ traditum, atque imprimis in quantum est revelatum, non vero in quantum est inspiratum.

Accedunt quædam de argumentatione e conceptu inspirationis e conscientia hominis inspirati, ex effectu inspirationis seu libro scripto.

61. — Ratio, cur hanc quæstionem methodologicam tractemus. — Postquam consideravimus obiectum formale quod tractatus de inspiratione, *ipsa res sibi vult* ut agamus de obiecto formali quo, seu de lumine sub quo illi studemus.

Accedit *ratio hausta ex diversis obiectionibus* hodie aliquando motis contra eam methodum argumentandi, quam usque nunc theologi sequi solebant.

62. — Præcipuae difficultates horum auctorum ita enuntiari posse videntur: 1) *Non est procedendum a priori*, sed caput est ut a posteriori procedatur, i. e. ex effectu inspirationis, i. e. e libro inspirato. 2) Cuius *apriorismi exempla* quædam late sparsa sunt in his duobus: *a*) multæ novæ indagationes factæ sunt v. g. de compositione Scripturæ, de erroribus in ea inventis. Quæ utique Patres atque veteres theologi ignorare debebant, recentiores vero multi theologi dogmatici de facto ignorant vel ignorare videntur. Unde dogmatici, *quasi hæc recens inventa facta non existerent, ea quæ antiquitus dicta sunt repetunt*, quæ theoriæ eorum aprioristicæ postulant proferunt. — *b*) *Ex inspiratione methodo aprioristica inerrantiam deducunt;* porro ex exegesi largissimum *usum veritatis relativæ excludunt.* — *c*) Quodsi dogmatici quidam principia dogmatica pro tali apriorismo invocant, *etiam nos exegetæ theologi sumus*, theologiæ dogmaticæ non minus atque illi operam dedimus.

63. — Audiantur quædam difficultates latius expositæ.

Beniamin Iowett in Essays and Reviews p. 347 (cf. articulus sequens) hæc habet: « *Natura inspirationis cognosci nequit nisi eo quod ipsam scripturam examini subicimus.* Non existit alius fons, ad quem pro infor-

matione habenda recurrere possimus; neque ullum ius nobis est assumere aliquam imaginariam doctrinam de inspiratione similem infallibilitati ecclesiæ Romano-Catholicæ. Unde ad quæstionem : Quid est Inspiratio ? primum responsum est hoc : Inspiratio est ea idea de Scriptura, quam recipimus ex eo quod eam novimus ».

64. — Ex auctoribus catholicis Pseudonymus M. Dick., New-Jork, in art. : L'inspiration des livres saints, Lettre au P. Lagrange, Rev. bibl. 1896 p. 485-95 hæc proponit : « Puisque vous tenez à suivre une bonne méthode, la meilleure n'aurait-elle pas été d'amasser tous les faits qui rendent difficile à comprendre, à première vue du moins, que Dieu soit l'auteur de la Bible? Nous sommes en face d'une question de fait : Comment a-t-il plu à Dieu d'inspirer la Bible? Il aurait pu le faire de différentes manières, c'est très vrai. Mais encore comment l'a-t-il fait ? Dès lors, on ne peut rien dire à priori ; *il faut prendre nos Livres canoniques, les examiner sous toutes les faces, savoir comment ils sont et ce qu'il sont, avant de savoir comment ils sont inspirés.* Il semble qu'il soit nécessaire d'examiner leur contenu, les procédés et les méthodes suivant lesquelles les auteurs les ont écrits, le but qu'ils se proposaient. *Alors seulement*, de tous ces faits étudiés attentivement, rapprochés les uns des autres, *jaillira de la lumière.* On pourra dire : Voilà comment ils sont inspirés, voilà ce qu'est l'inspiration. Mais établir votre théorie auparavant, c'est trop tôt ».

Adiungit, qua ratione Protestantes studia sua bibliis impensuri sint atque qualis horum studiorum futurus sit effectus. « Les protestants et les rationalistes en auront le monopole, et croyez que dans leurs journaux ils s'en flattent déjà. Avec leur ardeur au travail et leurs méthodes, beaucoup plus scientifiques qu'on ne le pense dans les pays où les protestants sont en minorité, ils en étudieront les moindres détails, ils échafauderont des conclusions, hâtives peut-être, mais qui, s'appuyant sur toute une charpente de références, de données philologiques, critiques, historiques, produiront une immense impression comme effet d'ensemble et une impression funeste à l'Eglise catholique. On aura, suivant le mot de Renan, je crois, « *une banqueroute de détails* » : *et les détails, les petits faits accumulés, voilà peut-être ce dont on tient le plus compte à notre époque.* Ou bien nous entendrons murmurer à côté de nous : " Si la critique biblique peut être florissante dans l'Eglise Romaine, c'est ce qui reste à voir „. Ne légitimons pas par notre conduite de pareilles remarques ».

Tandem proponit studia specialia quæ facienda sint circa dissonantias librorum sacrorum, documenta quibus usi sint auctores, manuscripta etc., « .... avant de pouvoir généraliser nos conclusions ». p. 489-90.

65. — E Protestantibus W. Sanday, Inspiration[5], Eight Lectures on the Early History and origin of the doctrine of biblical Inspiration, Being the Bampton Lectures for 1893,[5] 1903 p. 423 hæc docet : « Unica quæstio inter vere strictissimam formam theoriæ traditionalis et eam, quæ in his lectionibus proposita est, sita est in extensione huius theoriæ

ad elementum humanum. Atque assertio quæ subest omnibus his lectionibus est hæc: hanc extensionem non posse rite determinari per aliquam ex his methodis, quæ a priori procedunt, per aliquam deductionem ex eiusmodi postulato, uti est hoc: Revelationem esse communicationem sui ex parte Dei, sed *hanc extensionem posse solum legitime fieri per inquisitionem inductivam et criticam eius viæ, quam hæc Dei communicatio sui ipsius de facto inivit* ».

66. — Carl Holzhey, auctor catholicus, Fünfundsiebzig Punkte zur Beantwortung der Frage: Absolute oder relative Wahrheit der hl. Schrift? München 1909 p. 39 de adversario suo Egger hæc habet: « ... *describit librum (bibliam), quem nunquam vidit, cuiusque qualitates tantum a priori novit.* Qui de biblia iudicat, optime sane procedet, si eam ipsam in manus sumit; atque qui determinare voluerit, quomodo esse debeat, rationabiliter aget, si vim attribuit quæstioni, quomodo sit ». Cf. quoque p. 5 ad finem, 6 ad finem.

Hac ultima pagina auctor etiam inculcat, dogmatica principia, de quibus sollicitus esse debeat exegeta, esse « evidentia, omnibus nota, neervosa ». Etiam exegetarum mentes ante studia sua specialia eadem ratione dogmatice formatas esse atque ipsorum dogmaticorum, premit quoque Franz von Hummelauer S. I., Exegetisches zur Inspirationsfrage p. 128-9.

Principia tenenda de argumentatione in tractatu de inspiratione.

67. — Principia de argumentatione quæ in tractatu nostro tenenda sunt, nihil aliud esse possunt, quam *applicatio quædam eorum principiorum, quæ omni tractactioni dogmaticæ communia sunt,* ad hanc materiam de inspiratione. Unde hæc statuenda sunt.

1) **Lumen sub quo** inspirationem tractamus, principaliter **est verbum Dei revelatum,** *ab ecclesia catholica infallibiliter conservatum et explicatum.*

Etenim tractatus noster dogmaticus est. Probabimus enim Deum inspirationem librorum sacrorum revelasse, eamque revelationem ecclesiæ catholicæ prædicandam tradidisse.

Unde etsi tum existentia inspirationis, tum integra eius essentia independenter a revelatione cognosci posset, tamen principaliter insistendum esset in argumentis ex revelatione haustis.

Imo haud paucis videtur, *de inspiratione, ob singularem eius naturam, aliam tractationem institui non posse,* nisi eam quæ in testimonio divino innitatur.

Etenim factum inspirationis, si independenter a testimonio divino cognosci posset, aut ex effectu, i. e. ex libro inspirato concludendum fore, aut asserendum ob testimonium humanum auctoris inspirati, qui

inspirationem, ut factum experientiæ psychologicæ substans, in se experiretur. Ac revera prior via impossibilis est, id quod mox (n. 72 p. 39) videbimus. Secunda via saltem gravibus difficultatibus obnoxia est, cum auctores generatim affirment, ipsos hagiographos inspirationem suam, si eam cognoverunt, saltem cum certitudine non potuisse cognoscere ex ipsa indole influxus inspirativi, sed ex sola revelatione divina adiuncta. De qua quaestione alibi indicandum erit.

68. — Solvitur difficultas hausta e modo quo quidam e Patribus atque Scholasticis inspirationem probant. — Sunt auctores tum inter Patres tum inter Scholasticos, qui afferant *inter argumenta pro inspiratione* v. g. auctoritatem humanam, miracula a Christo vel in ecclesia facta. Cf. v. g. Origenes, Periarchon l. 4 c. 1-5, M G 11, 344-52. — Iunilius Africanus, De partibus divinæ legis l. 2 c. 29 ML 68, 42 BC. — Scotus, Oxon. Prolog. qu. 2 a n. 2, in Montefortino I 17-24. — Iamvero hæc et similia non sunt verbum Dei revelatum.

R. Sunt qui similes locos *de inspiratione non stricte tali* accipiant sed v. g. de ea perfectione Scripturæ, quod revelationem Dei enarrat. Ita v. g. Pesch n. 161 p. 151 quoad Scotum. — Videntur tamen etiam aliæ explicationes probabiles esse. V. g. auctores eiusmodi forte hoc enuntiabile, Scripturam esse inspiratam, sumunt *ut unum ex illis enuntiabilibus plane principalibus, quæ ecclesia catholica pronuntiat.* Esse vero ecclesiam infallibilem magistram veritatis demonstrari potest duobus modis. Unus est ut procedamus e verbo divino revelato, quod ecclesiæ hanc perfectionem ascribit. Alius est, ut procedamus *ex motivis credibilitatis*, sive primariis, uti sunt miracula, sive secundariis, uti est auctoritas hominum. Tali ratione mihi Scotus explicari posse videtur, atque eadem ratione interpretatur Origenem Prat o. c. p. 115-6. (De distinctione inter motiva primaria et secundaria cf. v. g. van Laak, De religionis revelatione in abstracto considerata n. 65,5 p. 46, theses 28-30). — Quæ ratio argumentandi non excludit, quod ipsa ecclesia, homines ex quorum auctoritate argumentum petitur, inspirationem tantum e revelatione didicerint.

69. — Argumentatio pro inspiratione speciatim ex traditione. — Revelatio continetur tum in libris a Deo conscriptis tum in aliis relationibus, quæ relationes sive ore tantum transmissæ sive etiam ab hominibus, at non sub inspiratione conscriptæ, vocantur Traditio (obiective sumpta). Unde fontes, e quibus dogma demonstrari potest, sunt Scriptura et Traditio. Facile ergo capitur, quomodo ex Traditione pro inspiratione Scripturæ sine ulla umbra circuli vitiosi argui possit. — Imo cum Traditio pro hoc inspirationis dogmate de facto tum ampliora tum clariora contineat quam Scriptura, præcipue ipsa sacra Traditio argumenta pro inspiratione suppeditat.

70. — *Nihilominus sine circulo vitioso etiam ex ipsa Scriptura inspirata argumentatio pro inspiratione peti potest*, atque ita quidem, ut hæc argumentatio directe innitatur in auctoritate divina. Atque hoc valet, sive ipsum factum inspirationis stabiliendum suscipitur, sive eius extensio ad omnes et singulas sententias, sive ulterior determinatio intimæ eius naturæ.

Etenim in Scriptura duplex elementum distinguendum est, in quo argumentatio directe dogmatica fundari potest. Unum est, quod *Scriptura infallibili veritate narrat, quam revelationem prophetæ, Christus, apostoli prædicaverint.* Aliud est, quod *præterea ipse Deus est, qui ut causa principalis omnes sententias Scripturæ conscripsit*, quod ergo non tantum obiectum quod narratur aliquando est aliqua revelatio divina, sed etiam ipsa scriptio omnium sententiarum ad Deum ut causam principalem reducenda est. Unde sine circulo vitioso ad ipsum factum inspirationis idque directe ex testimoniis divinis stabiliendum uti possumus Scriptura in tantum, in quantum ea priore modo consideratur, non vero in quantum secundo modo respicitur. *Præterea* postquam e Scriptura priore modo considerata aliquid de inspiratione saltem quarundam partium Scripturæ probatum est, ad ulteriorem doctrinam de inspiratione tradendam Scripturæ *iis locis etiam ut inspiratis uti possumus*, quos inspiratos esse antea, priore methodo, probatum fuerit.

Patet Scripturam etiam aliis indirectis modis ad inspirationem probandam conferre posse. V. g. in quantum ut documentum historicum fide dignum *exhibet persuasionem v. g. Iudæorum de inspiratione*, atque ulterius forte demonstratur, hanc persuasionem non potuisse oriri nisi ex revelatione obiective vera.

71. — **Caeterae argumentandi rationes** eo modo adhibentur, qui theologiæ scholasticæ proprius est.

Principales eiusmodi argumentandi rationes hæ sunt: Aut ex iis quæ formaliter revelata sunt, mediantibus aliis veritatibus, sive e revelatione sive ex philosophia speculativa sive ex experientia notis, ad nova per modum conclusionum cognoscenda procedimus; aut, dummodo id ex subiecta materia fieri possit, id quod revelatio docet, iam sola ratione comprobamus. — Quædam de singulis hisce modis ad nostram hanc rem applicatis audiamus.

72. — *a*) **Argumentatio ex proprietatibus libri inspirati quid valeat.** — Argumentatio e Scriptura, quæ a testimoniis de inspiratione in ea contentis abstrahit, eamque tantum ut quendam librum considerat, cuius vel forma v. g. stilus excellens est, vel cuius doctrinæ

sublimissimæ sunt, *nunquam ad affirmandam inspirationem Scripturæ deducere potest.*

Etenim primo illegitima est conclusio, quæ a multis ut legitima supponi videtur: res præternaturaliter orta est, ergo ad hanc eius originem ex ipso effectu semper concludere possumus. V. g. potest quis per miraculum esse sanatus; si tamen postea solum eius corpus sanum vides, ex eius sanitate ipsa concludere nequis, num ea naturali an præternaturali ratione effecta sit. Cuius rei ultima ratio hæc est, quod aliquid potest esse *præternaturale non secundum id quod fit, sed secundum modum quo fit;* ex quo sequitur quod ipse modus præternaturalitatis qua talis per se nullum vestigium præternaturalitatis in suo effectu relinquit.

Deinde positive constat in ipsa materia scripta vel e stilo scriptionis nihil unquam esse posse, unde iure ad ipsam inspirationem Scripturæ concludere possis. Etenim *quidquid rerum sublimium Scriptura continet*, etsi originem præternaturalem assumendam putas, *ad revelationem materiæ scribendæ reducere potes*, hæc vero secum patitur scriptionem mere humanitus factam. *Quidquid porro aptissimi stili et formæ* in Scriptura invenitur, hoc ipsum quoque *ingenio extraordinario vel ipsi scientiæ infusæ de stilo* congruentissimo attribuere poteris, quin propterea ipsa scriptio Deum ut causam principalem sibi postulet.

Tandem *auctores catholici consentiunt* in reicienda vi probativa eiusmodi argumenti ex ipsa Scripturæ indole hauriendi.

73. — *Attamen consideratio ipsius Scripturæ valere potest ad tria alia,* quæ pro doctrina de inspiratione tradenda haud exigui momenti sunt. *Primo* efficiet ut nunquam explicemus verba Dei de natura inspirationis testantia *eo modo ut apponantur alicui qualitati,* quæ in originali Scriptura sacra certo inventa fuerit.

Qua in re applicandus est canon S. Augustini, De Genesi ad litteram l. 1 c. 21 n. 41 ML 34, 262, quem proxime utique de rerum natura physica statuit: «... quidquid ipsi [homines] de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus, nostris litteris [i. e. S. Scripturæ, id quod eodem modo de omni verbo Dei revelato valet] non esse contrarium ».

74. — *Secundo:* ubi revelatio Dei de Scripturæ indole clara est, cognitio autem alicuius qualitatis experimentalis libri inspirati, si a revelatione abstrahitur, probabilis videretur, neque talis qualitas asserenda, neque iudicium suspendendum est, sed illa qualitas *positive*

ita interpretanda est, ut verbum Dei de ea postulat. V. g. si quid quod ab hagiographo asseritur, in eo sensu quo ab eo asseritur falsum esse videtur, neque unquam hæc explicatio assumenda est, cum ex revelatione certum sit cum inspiratione alicuius sententiæ errorem ab hagiographo in ea expressum stare non posse; neque iudicium, num forte error sit in tali loco, necne, suspendendum est, usquedum forte omnis dictio Scripturæ comparata fuerit cum cæteris fontibus per quos iudicari possit. Etenim hoc ipsum iam æquivaleret dubitationi de revelatione Dei asserentis nullum errorem cum inspiratione stare posse. — Sequitur v. g. haud recte aliquando postulatum esse, ut non prius inerrantia Scripturæ pronuntiaretur, quam ab exegetis qui rebus specialisticis, uti aiunt, dediti sunt, omnes loci fuerint discussi. Sequitur quoque, non posse principii loco poni, non prius iudicium de veritate absoluta aut relativa narrationum historicarum ferendum esse, quam unusquisque locus disquisitioni subiectus sit. Non enim repugnat, quominus etiam de modo intelligendi tales narrationes specietenus historicas, revelatio sive explicita sive implicita habeatur. Hæc ergo num locum habeat prius videndum est.

75. — *Tertio:* Si revelatio divina in quibusdam, quæ ad naturam inspirationis spectant, indeterminata est, sana methodus sibi vult, ut *diligenti examini ipsum opus effectum subiciatur.* Hac ratione ex opere humano ad modum operationis humanæ sub inspiratione, ex hoc autem modo ad naturam inspirationis in tantum concludere poteris, ut scias, quid humani cum ea componi possit, et consequenter cuiusmodi ille influxus quem aliqua ratione iam ex revelatione cognoveras, ulterius determinandus sit. Atque de facto studia doctorum ultimis hisce decenniis in hac ulteriori determinatione indaganda lætos tulerunt fructus. Cogita v. g. de clariore cognitione influxus inspirativi, eo quod modus quo hagiographus fontibus utitur ampliori examini subiectus fuerit.

76. — *b*) **Quid valeat argumentatio ex experientia hagiographi,** quam, dum inspiratus est, de iis actionibus habet, quas eo tempore ponit.

Generatim ab auctoribus asseritur, inspirationem sub experientiam non cadere. Unde ex hac nunquam ad illam concludi potest. Attamen tria illa quæ mox n. 73-5 quoad considerationem libri inspirati exposuimus, etiam ad considerationem conscientiæ hagiographi sunt extendenda: nunquam exponenda est hæc experientia contra verbum Dei revelatum; in dubiis secundum illud explicanda est; indeterminatio quædam verbi Dei forte examini magis accurato etiam expe-

rientiæ internæ auferri potest. Quam viam etiam Sancti Patres iniverunt. Etenim ipsi quoque ad explicationem ampliorem inspirationis etiam ea iudicia adhibebant, quæ hagiographi de statu actionum suarum mentalium sub inspiratione agentium in sacris paginis deposuerunt.

77. — **Argumentatio e conceptibus quid valeat.** — *Una eius forma* hæc est: Ex conceptu claro inspirationis, *mediantibus veritatibus quæ aut e revelatis aut ex principiis naturalibus, v. g. ex psychologia hausta sunt, ad conceptum distinctum inspirationis proceditur.* Ita v. g. in maiore asseritur: Inspiratio in eo est ut Deus sit auctor principalis Scripturæ, homo vero instrumentalis. In minore exponitur, quæ, docente psychologia, ad scriptionem requirantur. Deducitur in conclusione v. g. qui sint singuli illi actus auctoris secundarii, qui per inspirationem in instrumentum divinum elevandi sint.

Alia forma argumentationis ex conceptibus hæc est: *Ex conceptu sive claro sive distincto* inspirationis, mediante v. g. aliqua veritate metaphysica, *aliqua inspirationis proprietas deducitur.* V. g. maior est, Deum esse auctorem omnium sententiarum Scripturæ; minor, Deum non posse fallere: conclusio: omnia asserta Scripturæ utpote inspirata necessario ab omni errori obiectivo esse libera. — Qui modi procedendi sine dubio legitimi sunt, dummodo 1) id quod de inspiratione ut principium assumitur, ex quo quædam evolvuntur, non sit ipsum a priori positum, sed vere sit legitimus revelationis sensus; 2) ea quæ in minore assumuntur indubitata sint; 3) conclusio recta sit. — Quoad primam conditionem sedulo attendendum est, ne in tali maiore ullo modo excedatur supra id quod ex revelatione discimus. Id quod multi sæpe neglexerunt. V. g. revelatio utique docet, quæ scripta sunt hagiographis dictata esse. At aliam dictationem posuerunt v. g. plurimi Protestantes, aliam proposuit revera revelatio.

78. — Responsio ad difficultates eas, quas n. 62-6 proposuimus, ex iis quæ mox tradita sunt, sua sponte fluit. Quorum caput et fere summa erat, dogmaticos apriorismum sequi.

Ad **1).** — Processus a priori secundum logicam opponitur ei qui est a posteriori: ille ex causa ad causatum, hic ex causato ad causam concludit. — At ita terminus apriorismi in maiore parte eorum, quæ in dicta obiectione proferuntur, intelligi non videtur. Atque de facto in recta argumentatione pro ipso facto inspirationis atque pro eius explicatione, *processus neque a priori habetur neque a posteriori.* Hi enim duo processus divisiones duæ sunt eius argumentationis, quæ est e motivo rei intrinseco. At argumentatio pro inspiratione sive

unice sive saltem principaliter *e motivo rei extrinseco* petitur, scilicet e testimonio divino, ex revelatione.

Unde obiectio de apriorismo aliter intelligenda est. Scilicet significari videtur hac voce is modus argumentandi, qui, *ad facta non debite respiciens, ex fictione* vel ideis præconceptibus vel falsis principiis, quæ independenter a factis statuta sunt, asserta sua format. Quodsi maiorem partem eorum quæ in obiectione ponuntur, ita intelligimus hæc respondenda esse videntur.

79. — A tali genere apriorismi modus, quo postea procedemus, toto cœlo abest. Etenim argumentamur pro inspiratione eiusque extensione ex revelatione. Iamvero, cum revelatio divina factum sit, etiam ea inspiratio quam testatur, illa ipsa est quæ de facto existit. Unde *eo ipso quod insistimus revelationi de inspiratione, infallibili nexu cum facto inspirationis coniungimur*. Porro revelationem interpretamur secundum Patrum atque theologorum auctoritatem. At cum *Patrum atque theologorum auctoritas* uti de facto existens atque uti infallibilis demonstrata sit, sequitur eam *cum facto revelationis nos infallibili nexu coniungere*. Revelatio vero ut vidimus cum inspiratione, uti de facto est, nos connectit. Unde certe inhærendo Patrum atque theologorum auctoritati factis inavulse agglutinamur. Id quod recte etiam premit Leop. Fonck, Der Kampf um die Wahrheit der h. Schrift seit 25 Jahren p. 139.

80. — Ad 2). In specie *quoad exempla apriorismi*, quæ adducta sunt, hæc dicenda videntur: *a*) *Facta ista recentiora* aut perspiciuntur opposita doctrinæ unanimi in re fidei et morum aut non. *Si opposita, spernenda sunt ut ficta* atque eo quod ea spernimus, cum factis, uti obiective sunt, cum inspiratione uti obiective erat, infallibiliter nectimur. *Si non opposita, sedulo considerandum est*, num forte eorum cognitione hoc vel illud, quod in doctrina de inspiratione prout a Patribus et theologis usque nunc exposita habetur, nondum determinatum erat, magis accurate determinari possit. Talis enim modus per se est via ad progressum in doctrina dogmatica.

Si rem historice sumimus, *Patres et theologi practice agnoverunt principium*, in explicanda ratione intrinsece inspirationis etiam ipsum opus inspiratum, S. Scripturam, considerandam esse. Etenim v. g. S. Augustinus, cum diversitatem relationum evangelistarum de eodem facto ponderaret, iudicavit, unumquemque proposuisse « prout quisque meminerat ». De cons. evangel. l. 2, 12, 27 sq.; ML 34, 1090. Sæculo 16 theologi communiter ut revelationem seu communicationem novarum specierum ab essentia inspirationis removerent, recurrebant

ad Lc. 1, 1-4, ubi evangelista ad fontes suæ historiæ de vita Christi remittit; atque Lessius hanc ipsam veritatem tantopere inculcavit, ut satisfieret indoli librorum Machab.

Inter controversias vero, quæ ultimis decenniis locum habuerunt, etiam eiusmodi theologi qui veritatem relativam narrationum historicarum reiciunt, compositionem ex fontibus quos sacri auctores adhibebant, ut unum elementum adhibent, ex quo clarius cognito conceptum inspirationis expoliant.

Quodsi quidam theologi recentiores aliquando ita scribunt ac si, tali compositione concessa, dignitas Dei inspirantis in periculum vocaretur, ii neque suis principiis dogmaticis stant neque communiorem doctrinam sequuntur.

81. — *b*) Ubi conqueruntur adversarii e conceptu inspirationis aprioristice inerrantiam deduci, eam sane methodum denotant, quæ secundum logicos proprie aprioristica dicenda est. At immerito supponunt, tali via a factis, uti obiective sunt, nos abduci. Etenim cum *ex definitione rei, quæ ipsa secundum facta efformata est*, conclusiones rite deducimus, nihil facimus, quod non cotidie etiam a cultoribus scientiarum positivarum fit, nihil quod vel umbram illius apriorismi redolet, quo a factis longi fiamus. — Unum sibi vult hæc methodus, sicuti omnis alia, scilicet ut recte applicetur. Qua in re ille defectus practice solerter evitandus est, quem aliquando theologi dogmatici quidam reapse commiserunt. Fit enim aliquando, ut enuntiabile quod revelatio affert per se plures sensus habere possit, ipsi vero ob ideas quasdam falsas philosophicas vel theologicas nonnisi unum sensum determinatum in eo enuntiabili videant. Unde aliquando hunc sensum sine ulteriore examine ut sensum a Deo revelante intentum vendunt atque ex revelatione ita falso intellecta conclusiones ducunt. Patet eos ita non facta sequi, sed apriorismum quendam. Cuius falsæ methodi celebre exemplum habes in veterioribus theologis Protestantibus. Qui utique recte docuerunt, Deum Sacram Scripturam dictasse. Attamen in hoc peccabant, quod non attendebant, dictationem per se pluribus modis fieri posse. Unde neque indagarunt qualis modus e pluribus possibilibus, secundum indolem ipsius operis dictati, seu Scripturæ, a revelatione prædicetur, sed unum certum modum, secundum præconceptas ideas philosophicas electum, pro vero sensu revelationis venditabant. E tali conceptu falso cum conclusiones legitime deducebant, utique ad falsa, apriorismo quodam deducti, deveniebant.

82. — *c*) Quodsi quidam exegetæ catholici, ut veritatem conclusionum suarum aliqua ratione extrinseca tueantur, aliquando ad id

provocant, se quoque theologos i. e. dogmaticos esse, hæc assertio certe significat factum historicum, eos huic scientiæ studuisse; ea porro est confessio, se omnia revelata eo sensu quo obiective revelata sunt, firmiter complecti. At certe non ad eum finem ab iis exegetis hæc assertio profertur ut insinuent, apud ipsos inveniri non posse id, quod non raro etiam iis dogmaticis qui cum theologia unice vel speciatim occupantur iisque multis simul accidit, ut scilicet quidam quoque ex exegetis aut veritatem quandam revelatam de inspiratione non recte intelligant aut ex recte intellecta falsa concludant. Idque certe eo minus premere volunt, quia exegetæ alii alia ab ipsis sentiunt. *A posteriori*, ex assertis ipsis, *videndum est, utrum recte theologos egerint necne*, non quasi a priori, independenter ab assertis inspectis, omnimoda conformitas cum veritate revelata quasi proclamanda est. — Periculum erroris pro humani intellectus infirmitate, in utraque theologorum classe invenitur, erroris tamen occasio psychologica diversa est. Qui theologiæ speculativæ se dant, attendant oportet, ne principio generali, quod forte plures sensus admittit, ex præconceptis ideis philosophicis, aprioristice, unum immerito ascribant, deinde secundum hunc unum sensum tali principio ascriptum singulos textus Scripturæ explicent, quin eum secundum præcepta hermeneuticæ de contextu etc. discutiant. Quodsi facerent forte aliquando sensum in eo detegerent, qui eos adduceret, ut principium aprioristice statutum corrigerent. Qui vero exegesi se dant, attendant oportet, ne aliquem sensum statuant, qui ex proximo quidem contextu etc. forte videtur probabilis, quem tamen excludi ex generaliori quodam principio dogmatico sequitur, cuius principii vim, cum rebus specialibus multis intenti sint, aliqua ratione oblivioni dederant.

CAPUT II.

DE EVOLUTIONE HISTORICA DOCTRINÆ DE SCRIPTURÆ INSPIRATIONE ATQUE INERRANTIA

84. — Lit. *Quædam opera generalia* catholicorum: Heinrich Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II 152-268 Würzburg 1857. — Jos. Schwane, Dogmengeschichte I² § 90 p. 552-8; II² § 92 p. 721-5; III § 111 p. 511-13; IV 275-9 edit. 1 1862-90; ed. 2 1892-5. — P. Dausch, Die Schriftinspiration, Freiburg 1891, 241. — Cæteros amplitudine et eruditione tractationis superavit Pesch, o. c. l. 1 historicus 11-379. — I. V. Bainvel, De Scriptura Sacra 1910 Pars I p. 11-109.

Ex historiis dogmatum generalibus auctorum acatholicorum cf. v. g. Adolf Harnack, Dogmengeschichte I⁴ 1909 § 6, 7 p. 111-33; 194-9; 372-99; 402-5 25, II³ p. 67-83. — Friedrich Loofs, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte ⁴1906 sub v. Schrift in indice. — K. R. Hagenbach-Karl Benrath, Lehrbuch der Dogmengeschichte Leipzig ⁶1888 §§ 56, 121, 161, 243, 294.

85. — Cum auctorum catholicorum sententiæ in decursu tractationis ampliore mensura continuo exhibendæ sint, hoc loco in id solum intendimus, ut conspectu breviori universa evolutio doctrinæ catholicæ ante oculos ponatur.

Sententiæ vero acatholicorum cur fusius tradituri simus suo loco explicabimus.

ART. 1. — IN ECCLESIA CATHOLICA.

Periodus 1. — Inde ab initio usque ad ætatem auream Scholasticæ.

86. — Lit. *Ex operibus generalibus* Schwane l. c. I et II; Dausch p. 45-92; Pesch n. 36-154 p. 40-140; Bainvel n. 47-63 p. 81-94. — *Data opera* Franz Leitner, Die prophetische Inspiration. Biblisch patristische Studie, Freiburg i. B. 1896 45-195. — Literaturam *de singulis quibusdam periodis vel Patribus postea proponemus.*

87. — **Capita doctrinæ Patrum.** — Quæ Patres in *simplici instructione fidelium* auctoritative proponebant et *contra hæreticorum* errores instantius inculcabant ita exhibet Pesch n. 140 p. 128.

« 1. Deus est auctor Sacræ Scripturæ, quia eam scribendam inspiravit. 2. Deus in condenda Scriptura usus est hominibus ut instru-

mentis vivis et rationalibus, quatenus eos movit ad ea omnia et sola scribenda, quæ suo nomine scribi voluit. 3. Ideo Sacra Scriptura et singulæ eius sententiæ sunt verbum Dei infallibiliter verum. 4. Consequenter omnia et singula, quæ in Scriptura a Deo inspirata leguntur, eo sensu, quo ibi dicuntur, fide divina credenda sunt. 5. Deus Sacram Scripturam ut suum librum ecclesiæ tradidit tamquam normam divinitus constitutam fidei et morum. 6. Qui sint libri inspirati, discendum est ex doctrina ecclesiæ, cuius est de libris ad canonem pertinentibus iudicium ferre ». Accedit quod haud pauci e Patribus differentiam inter revelationem simpliciter talem et inspirationem saltem implicite recte proposuerunt.

88. — **Hæreses** vero *quæ præcipue huc spectant* sunt: Gnostici et Manichaei, Montanistæ, Anomœi.

Gnostici et **Manichæi,** illi inde a sæculo saltem 2, hi a s. 3, stultissimis erroribus de Deo rebusque divinis adhærebant, quamvis veritates oppositæ clarissime in S. Scriptura continerentur. Unde ad id deveniebant, ut eas partes Scripturæ, in quibus eiusmodi doctrinæ ab ipsis reiectæ continebantur, divinitus scriptas esse negarent.

Tales vero partes, quarum inspirationem divinam non agnoverunt, aliquando quidem ascribebant carnalibus hominibus; *sæpe* vero eas *attribuebant spiritui cuidam inferiori aut malo aut Deo illi Veteris Testamenti*, quem a Deo Novi Testamenti distinctum ponebant. Quod cum faciebant, aliquam saltem umbram doctrinæ de origine præternaturali etiam talium partium Scripturæ retinebant.

Ecclesiastica auctoritas. — Ex hac erroris forma apud Gnosticos et Manichæos facile intelligitur, cur ecclesiastica auctoritas eum ita proscribere solita sit, ut imponeret fidem in hunc vel similem canonem: v. g. « *Novi et Veteris Testamenti.... unum eundemque auctorem credo et Deum* ». Ita Statuta Ecclesiæ Antiqua, Mansi III p. 950. Cf. Ios. Hefele, Conciliengeschichte II^2 69. De explicatione magis accurata talium canonum postea agetur.

89. — **Anomœi.** — Ad *similem errorem* sæculo 4 etiam devenerunt Anomœi, i. e. extrema illa pars Arianorum, qui clare Filium dissimilem (ἀνόμοιος) confitebantur. « Prophetarum apostolorumque nomina contumeliis incessunt. Cumque urgeri rationum vi ac male haberi cœperint, effugiunt subinde ac prosiliunt. Ista, inquiunt, apostolus tamquam homo dixit. Alias, Quid tu mihi Vetus, aiunt, Testamentum obicis? ». Ita S. Epiphanius adv. hær. l. 3 hær. 76 Confutatio 36 VI; MG. 42, 638. – At nihil effecerunt.

90. — Montanistæ. — Alius *error*, isque *relate ad ipsam essentiam inspirationis*, a Patribus, generatim utique tantum implicite, reiciebatur occasione doctrinæ Montanistarum. Hi circa medium sæculum 2 videntur docuisse, notionem prophetiæ seu eius doni, quo homo nomine Dei loquatur, necessario id secum ferre, *ut homo dum nomine Dei loquatur, usu intellectus et libertatis privetur*. Quam sententiam Patres reicierunt. Affirmabant enim, eum agendi modum quo Deus creatura rationali ita uti dicendus esset, ac si esset quoddam instrumentum irrationale, summam Dei sapientiam sane non decere. Dei enim proprium esse donis suis, præcipue vero prophetia, mentes hominum non deprimere sed elevare. — Hæc doctrina generalis quæ sine dubio implicite etiam de hagiographis valebat, aliquando etiam explicite ad eos applicabatur. Cf. v. g. S. Hieronymus de Montanistarum doctrina in prologo in Nahum, MG 25, 1232. Cf. de Montanistis Pesch n. 54-9, præcipue n. 59.

Periodus 2. — Ab ætate aurea Scholasticorum usque ad ætatem Reformationis.

Lit. *Ex operibus generalioribus* Dausch, p. 92-102. — Pesch, n. 155-210 p. 140-202. — Data opera Carl Holzhey, Die Inspiration der hl. Schrift in der Anschauung des Mittelalters, München 1895 p. 167. — Quædam *de singulis auctoribus* postea addentur.

91. — Primo fideliter *retenta est doctrina traditionis*.

Commenta hæretica, Gnosticorum et Manichæorum erroribus, etiam per maiorem partem medii ævi inter diversas sectas Neo-Gnosticas et Neo-Manichæas perseverabant, atque in regno Byzantino quidem v. g. inter **Paulicianos,** in Occidente vero inter **Catharos, Albigenses,** similesve hæreticos.

Ecclesiastica auctoritas ex sua parte sub eadem vel simillima formula tales errores damnavit, atque ætate Patrum hæreses Gnosticorum vel Manichæorum reiecerat, scilicet inculcans, *eundem esse Deum Veteris Testamenti qui etiam Novi*. Ita Pontificale Romanum, Leo IX s. 11, Concilium Lugdunense II, Innocentius III, Concilium Florentinum. Quod Concilium canonem integrum recenset.

Evolutio doctrinæ. — Tempore florescentis Scholasticæ primo doctrinam Traditionis *formula quadam brevi* comprehenderunt. Quæ formula est: *Deus est auctor principalis Scripturæ, homo auctor instrumentalis.* (Cf. Th. Quodl. I. a. 14 ad 5). — Deinde præcipue *S. Thomas* doctrinam *de diversis speciebus cognitionis* præternaturalis

seu *prophetiæ* evolvit. Quod cum faceret etiam diversas species prophetiæ exposuit. Inter has *donum propheticum* hagiographo qua tali proprium ita multis determinasse videtur ut comprehendat et lumen aliquod divinum ad iudicandum et instinctum divinum ad scribendum. Cf. Pesch n. 167-79 o. c. n. 48 p. 29.

Periodus 3. — Ætas Concilii Tridentini atque reflorescentis Scholasticæ.

Lit. *Ex operibus generalioribus* Dausch, p. 145-204; Pesch, n. 272-94 p. 264-90. — Præterea Ios. Kleutgen o. c. n. 48 p. 29.

92. — Existentia librorum sacrorum atque ita inspirationis denuo *a Concilio Tridentino* definita est. Etiam *clarius, quam in Concilio Florentino,* effertur, ipsos libros a Deo procedere. Verba hæc sunt: Synodus, perspiciens veritatem et disciplinam (christianam) « contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ (ex) ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, *omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor,* nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto *dictatas,* et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur ».

93. — Essentia quoque inspirationis his verbis dupliciter declaratur. Uno modo in quantum synodus præteritorum Conciliorum vestigia premens Deum auctorem utriusque Testamenti declarat. Alio modo in quantum libros ipsos pari pietatis affectu et reverentia suscipiendos esse docet, qua traditiones quæ a Spiritu sancto dictatæ sint. Ergo secundum Concilium etiam ipsæ Scripturæ a Spiritu Sancto dictatæ sunt. Vis utique præcipua decreti posita est in eo, ut doceatur Traditiones esse dictatas. At hoc nullo modo ideo factum est ut quasi deprimeretur Scriptura, sed quia Protestantes, quorum doctrinas Concilium Tridentinum peculiari modo excludere intendit, Scripturam quidem ut a Spiritu Sancto dictatam agnoscebant, traditionem vero dogmaticam auctoritativam admittere nolebant.

93. — Extensionem inspirationis *quod attinet, triplici modo eo tempore peccatum est. Primo integros libros e canone reiciebant* inter Catholicos Card. Caietanus, ex hæreticis multi. Cf. Cornely, Introd.

Secundo haud pauci *e libris retentis speciales quasdam partes removebant.* Ita post Erasmum maior pars hæreticorum negavit, v. g. historiam de adultera (Io. 8, 1-11) ad evangelium pertinere. Contra utrumque errorem *idem Concilium definivit « sacros libros integros cum omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in Veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis » suscipiendos esse.

Tertio auctores quidam catholici, ut Erasmus, censuerunt versus quosdam singulos Scripturæ qui *notitias minimi momenti continerent*, merito non divino, sed *tantum humano spiritui ascribi.* Quam falsam sententiam *theologi* insignes neque gravibus censuris parcentes indignabundi *reiecerunt.* De quibus postea sermo redibit.

94. — Explicatio quædam magis accurata rationis inspirationis accedebat, *quæ præcipue circa triplicem quæstionem versata est.* Cuius explicationis occasionem speciali quodam modo præbuerunt theses tres, a Leonardo Lessio S. J. 1586 propositae. Quas ipse qui dem recte explicavit. Quidam autem, imprimis Academia Lovaniensis et Duacensis, aliter intelligendas esse putaverant. Modum vero quo Lessius eas intellexit, rectum fuisse, non hoc loco demonstrabimus, sed in alia parte tractatus.

95. — *Prima* quæstio versabatur circa *naturam inspirationis in genere.*

Conventum est in eo, ad auctoritatem divinam alicui libro conciliandam sufficere quidem approbationem Spiritus Sancti, qua testetur librum sola humana industria conscriptum nonnisi vera continere. Ad id autem ut liber inspiratus dici possit, plus *requiri, ut scilicet conscriptus sit excitante et impellente Spiritu Sancto.*

96. — *Secunda* quæstio erat circa *naturam influxus inspirativi in intellectum.* Atque speciatim quidem *quærebatur num hagiographi ad scribendas res sibi iam notas indigerent* nova infusione cognitionis præternaturalis earundem rerum, quas iam noverant, *nova infusione specierum*, verbo nova revelatione ad ipsos directa. Negaverant hoc clare iam paullo ante v. g. Dominicus Bañez, in 1 qu. 1 a. 8 Salmanticæ 1584 ed. Ven. 1587; Card. Rob. Bellarminus, Contr. christianæ fidei, De verbo Dei l. 1 c. 15 ed. Ingolst. 1590 col. 54. Cum Lessius, imprimis ut defenderet inspirationem librorum Machabæorum, eandem doctrinam etiam pluribus tueretur, hæc cognitio magis clara et distincta reddita est atque ita negatio necessitatis infusionis specierum in persuasionem magis generalem abiit.

97. — *Tertia* quæstio versabatur *circa modum quo influxus divinus se haberet in electione verborum*, quibus homo id exprimeret quod a Spiritu Sancto inspirante ut scribendum acceperat. Quidam affirmabant, vi inspirationis *verba ita determinari ut stante hoc influxu alia eligi non possint.* Ita Bañez l. c. « Sicut calamus ab ipso scribente determinatur, ut hos characteres exprimat, ita et prophetæ imaginatio determinata verba recipit [a Spiritu Sancto] ut verbo aut scripto proferat ». Etenim « dictare verba ipsa determinare significat ». At hanc sententiam tantum ut *probabiliorem* proposuit. Quem auctorem generatim veteres Thomistæ sequebantur et in ipsa sententia et in eius moderata qualificatione theologica. At non ipsi soli.

E contra Lessius in scripto: Responsio ad censuram assertionum de Scriptura, probabilius habet, *ipsorum verborum electionem, num scilicet in hanc an illa feratur, sæpe scientiæ et diligentiæ scriptoris relinqui, assistente tamen Spiritu Sancto ne homo in verborum electione erret.* Ita multi alii, quoad rem etiam Suarez. Quam sententiam, quæ *semper plures patronos* nacta est, inde a fine sæculi 18 usque ad finem sæculi 19 *theologi fere omnes* sequebantur.

Periodus 4. — Ab aurea ætate Neoscholasticæ ad finem vergente usque ad Concilium Vaticanum.

98. — Lit. Ex *operibus generalioribus* Dausch inter p. 145-207. — Pesch n. 294-326 p. 290-327.

Speciatim de Concil. Vaticani decreto ad inspirationem spectante: Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum Collectio Lacensis Tomus VII Freiburg i. B. 1890 locis s. v. Scriptura I, II, in indice. — Theod. Granderath S. I., Constitutiones Dogmaticæ... Concil. Vat. ex ipsis eius actibus explicatae atque illustratae ibid. 1892 p. 47-61. — Jean Michel Alfred Vacant, Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican 1895 I Ch. II § 3 sect. 4 p. 458-518.

99. — Generatim in scholis catholicis *retentæ sunt doctrinæ antea per traditionem stabilitæ.* Speciatim indubitata erat etiam *extensio inspirationis ad omnes sententias* itemque *omnimoda inerrantia* omnium sententiarum inspiratarum.

At de ratione intima inspirationis quædam hic inde proposita sunt, quæ cum illa veritate, Deum esse, qui per sacros auctores nobis loquatur, componi non possunt.

Sententiæ non rectæ.

100. — Jacques Bonfrère S. I., in « Præloquiis » ad commentarium in Iosue, Iudices et Ruth, Parisiis 1631 quædam de essentia inspirationis proposuit. Disputatur quidem de eius mente. Generatim vero eam ita fere exhibent: Probabile est, ad inspirationem (libri historici) absolute sufficere hæc: Deus inspirat hagiographis consilium scribendi certam historiam in genere vel gnomas ad mores formandos; præterea in genere materiam ad tale scriptum iis suppeditat; insuper adsistit ne in scribendo errent; denique aliquando etiam aliqua e scribendis vera revelatione et inspiratione cum hagiographis communicat. — Quomodo Sanctus Schiffini eius sententiam cum vera doctrina componere studeat v. in eius libro: Divinitas Scripturarum, 240.

101. — Henry Holden, Anglus, professor Sorbonicus, † 1662 profert sententiam suam de inspiratione in « Divinæ fidei analysis ll. 2 » Parisiis 1652. Eius falsum suppositum unde falsæ eius conclusiones de inspiratione fluunt, est in eo, quod *putat, non omnia quæ in Sacra Scriptura ab hagiographis asseruntur, fide divina credenda esse,* sed tantum fide ecclesiastica. Procedit nempe ita: Fide divina tantum ea in Scriptura contenta credi possunt, quæ ipsis hagiographis (vel aliis) immediate a Deo revelata sunt. Cætera vero tantum fide catholica credi possunt. Hæc vero ipsa duplicis generis sunt. Genus prius complectitur ea, quæ necessario cum revelatis connexa sunt, v. g. multa ex vita mortali Christi. Hoc genus veritatum non revelatarum directe firmatur auctoritate ecclesiæ. Secundum genus est earum veritatum quæ talem connexionem cum revelatis non habent, v. g. S. Paulum Troade penulam reliquisse. Hæ secundi generis veritates — quas Holden obiter dicta vocat — ecclesiæ auctoritate non firmantur nisi indirecte. Scilicet hæc ab ecclesia in tantum ut vera docentur, in quantum est quædam veritas, utique non a Deo revelata sed ab ecclesia sola proposita, Scripturam totam esse verbum Dei.

Quæ cum docebat Holden, concludere per se debebat, Scripturam esse verbum Dei tantum in iis partibus ubi ea continentur, quæ hagiographis (vel aliis) revelata sunt. At *cum ecclesiæ doctrinis stare velit, retinet veritatem ab omnibus admissam, totam Scripturam* esse canonicam, i. e. *recipi debere ut verbum Dei.* Cum qua doctrina catholica ea quæ antea ex eo retulimus, hac ratione componere studet:

Ad hoc ut aliquod scriptum possit ab ecclesia recipi ut verbum Dei, ut eiusmodi sacra Scriptura, qualis est nostra canonica, sufficiunt hæc duo: ex parte obiecti, ut liber « doctrinam contineat revelatam, vel a revelata nihil dissonam »; ex parte subiecti scribentis, ut « auctor ipsius fuerit vir aliquis sacer et divinus ». Est autem vir sacer is, « cui illius scripti seu libri doctrina, ad religionem spectans, vel immediate a Spiritu Sancto revelata fuerit, vel in illa describenda divinum illi adfuerit speciale auxilium ». « *In iis* vero, *quæ non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune sit* ».

102. — Phil. Ner. Chrismann O. F. M. simili modo inter asserta hagiographorum *non recte distinguit quædam quæ fide divina, quædam quæ sola fide catholica credenda sint.* Qua distinctione posita ita concludit: « Auctores igitur sacri non habuerunt in omnibus revelationem, bene vero eam inspirationem divinam, qua interius permoti ad scribendum peculiari assistentia sive præsentia Spiritus Sancti diriguntur, ne labantur, ne quid falsi aut erronei permisceant et ne uspiam a vero deflectant ». Unde *sufficit « ea inspiratio, qua Spiritus Sanctus auctores sacros inter scribendum direxit, ne errarent* ». Quæ verba alii sic explicant ut veritati quidem rei consonent non autem bene posita sint, alii vero ea falsa habent. Cf. « Reg. fid. cath. » § 51, V, VI.

Simili ratione disputatur de mente v. g. Richard Simon, Calmet. Cf. Pesch, n. 317, n. 322 p. 322.

103. — Clarius falsa sententia exhibetur a Ioanne Iahn, Einleitung in die göttlichen Bücher des Alten Bundes I ²1802 § 19, 23 « Ut hi libri auctoritatem divinam habeant, necesse est, eorum auctores a Deo immunes ab erroribus in scribendo servati sint. *Hanc assistentiam divinam, qua caventur errores, vocamus inspirationem.* Quæ appellatio usu quidem firmata, at non valde apta est, quia, cum *subiecta significatio sit negativa*, positivi quid enuntiat.... Illi qui inspirationem quorundam locorum severissime interpretantur, aliis locis, præsertim si causam stili diversi vel delectus rerum indicant, ad solam immunitatem ab erroribus redeunt ». (Versio e Pesch n. 325).

104. — Item Daniel Haneberg O. S. B. certe falsa docet in libro cui titulus: « Tentamen historiæ revelationis biblicæ » (Versuch einer Geschichte der Offenbarung) Regensburg 1850. Etenim quoad libros in nostro canone contentos p. 794 inter se distinguit inspirationem antecedentem, concomitantem, subsequentem. Hoc ultimo termino in se non apto designat approbationem libri tantum humanitus

conscripti ab ecclesia factam. Docet vero « *fieri etiam potuisse, ut scriptum aliquod, primitus solis ordinariis humanis viribus confectum, eo demum ad dignitatem verbi Dei elevatum esset atque hoc ipso inspiratum evasisset, quod canoni insertum est.* In hac hypothesi scriptum aliquod factum esset verbum Dei eo modo, quo locus aliquis, a Cicerone scriptus, fit verbum meum, quando illum in aliqua oratione vel epistola usurpo ad meum conceptum exprimendum: hæc est inspiratio subsequens. Quænam ex hisce tribus speciebus inspirationis ad hunc vel illum librum ad hunc vel illum versum referenda sit, vix potest singillatim definiri; dicere tantum possumus, ea loca, in quibus expressum est: hæc dicit Dominus vel aliquid simile, probabilius ad primam (antecedentem), narrationes vero historicas rerum quæ subsunt experientiæ, ad posteriorem (subsequentem) pertinere posse. Libri poetici videntur potissimum ad secundam (concomitantem) ascribendi ». In editione tertia vero admisit etiam pro hac classe « specialem directionem auctoris per influxum subtiliorem providentiæ divinæ, cui multa media præsto sunt ». In 4ª ed. 1876 in doctrina de inspiratione p. 852-61 sequitur definitionem Concilii Vaticani.

Definitio opposita Concilii Vaticani.

105. — Concilium Vaticanum se opposuit eiusmodi erroribus, qui ultimis sæculis aut vere propositi sunt aut saltem propositi esse videri possunt. Definivit nempe: « Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, *non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt* ».

Periodus 5. — Inde a Concilio Vaticano.

106. — Lit. *Ex operibus generalioribus* Dausch p. 208-41. — Pesch n. 329-72 p. 327-75. — Ex operibus specialibus Id., Zur neuesten Geschichte der Katholischen Inspirationlehre, Freiburg 1902, 122 (Theologische Zeitfragen, Dritte Folge); lat. versum a Felice Pignataro S. I., sub titulo: Apparatus ad historiam coævam doctrinæ inspirationis

penes Catholicos, Romæ 1903. — Leopold Fonck S. I., Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905, 215, cum plurima lit. — Ioseph Brucker S. I., Questions actuelles d'Ecriture Sainte, Paris 1895, 329. — id. Questions d'Ecriture sainte, L'Eglise et la critique biblique, Paris 1907, 294. — Lit. plurima invenitur præterea in Biblische Zeitschrift, Freiburg, inde a 1903, imprimis in iis partibus, quæ habent titulum: Bibliographische Notizen. Inter quas præcipui loci sunt hi: 1903 p. 82-5, 305-8; 1904 p. 81-4, 302-5; 1905 p. 72-6, 292-7; 1906 p. 69-73, 297-305 (omissa tamen abhinc inter partes tituli indicatione « Inspiration »); 1907 p. 64-9, 282-91; 1908 p. 65-8, 279-87; 1909 p. 56-63, 358-65.

107. — Indoles generalis evolutionis. — Quæruntur viæ quibus inspiratio Scripturæ cum erroribus in ea contentis concilietur. — Cum s. 19 diversissimæ scientiæ profanæ, etiam eæ, quæ ad historiam Orientis cognoscendam spectant, continuos magnosque progressus facerent, quidam etiam e catholicis putabant, ea quæ S. Scriptura de his rebus habet, cum scientiæ certis documentis componi non iam posse. Ad quam oppositionem tollendam varia inierunt tentamina, quæ inspirationem Scripturæ in periculum vocabant. Facta sunt hæc tentamina eo fere tempore, quod Concilium Vaticanum celebratum excepit, præcipue postquam etiam Catholici magis quam in anteriore parte sæculi 19 cum Scriptura occupari inceperunt.

108. — Primum et secundum tentamen. — Minor extensio inspirationis. Permittuntur errores formales in rebus profanis.

Primum tentamen erat in eo, ut ad tollendam dictam oppositionem **duo media simul** adhiberent. Primarium erat, ut statuerent in ipsa Scriptura partes vel sententias inspiratas a non inspiratis distingui posse. Tantum res fidei et morum esse inspiratas, cætera non, saltem si non intime cum rebus fidei cohærerent. Limites diversi diverso modo assignabant. (Cfr. auctores postea referendos, ut Lenormant, Newmann). Secundarium medium erat, ut simul affirmarent, inspiratione alicuius sententiæ non necessario excludi errorem hagiographi in ipso iudicio in Scriptura deposito expressum, dummodo non versaretur in rebus fidei et morum. (Cfr. quæ postea relaturi sumus de Lenormant).

109. — Secundum tentamen. — Soli errores formales in re profana. — Consistebat hoc secundum tentamen in eo, ut in solo hoc secundario medio insisteretur. Concedebant ergo quidam, ipsam inspi-

rationem omnium sententiarum Scripturæ, negabant vero eam esse inspirationis naturam, ut errores in rebus profanis excluderet. Atque de facto tales errores in sententiis inspiratis inveniri. Cfr. quæ postea afferemus de Bartolo, aliis.

Leo XIII utrumque tentamen reicit.

Utrumque hoc tentamen ad componendum dissidium apparens inter inspirationem Scripturæ atque apparentes errores in rebus profanis, alienum a doctrina constanti ecclesiæ, *a* Leone XIII *in Encyclica* « Providentissimus Deus » *reiectum est.* Etenim docet n. 30: « *nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacræ Scripturæ partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem.* Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil prætcrea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quænam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit ». Imo tantum « abest ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessario est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse ». Deum esse auctorem librorum Sacrorum. « Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacræ Scripturæ universæ ».

110. — Tertium tentamen: — Veritas relativa dictorum; errores materiales tantum.

Interclusa a Leone XIII utraque via quam quidam inierant, num adhuc ulla possibilitas remanebat, qua asseri posset errores obiectivos in Scriptura contineri?

Erant atque sunt docti catholici qui aliquam viam legitimam se invenisse putant. Qui ita procedunt. Ex una parte veritates de inspiratione omnium et singularum sententiarum Scripturæ retinent, ex alia parte tot tantosque errores obiectivos in Scriptura invenire sibi

videntur, ut ii nullo modo ascribi possint iis circumstantiis, quibus usque nunc catholici tales apparentes contradictiones explicabant, scilicet aut corruptioni codicum aut versionum mendis aut cuidam non recto modo intelligendi ex parte nostrum in rebus quibusdam particularibus. Statuunt ergo, *modum quo hagiographi res quæ non sint fidei et morum affirment, non esse eiusmodi, ut obiectivam veritatem talium rerum absolute asserant*, sed eiusmodi, ut quoad eas subintelligenda sit *quædam restrictio* aut potius quædam *assertio implicita*, quæ omnes assertiones explicitas circa eas certo quodam modo modificet, i. e. quæ modificet ipsam veritatem quæ iis ascribatur. Supposita hac restrictione, quam sacer auctor in asserendo adhibeat, nullum esse in Scriptura errorem. *Quam restrictionem usque nunc utique auctoribus catholicis cognitam non fuisse.* Laborasse ergo in genere omnes e falsa interpretatione. Quem errorem iis utique condonandum esse. Etenim sicuti res cæteras vetustas, præcipue Orientis, ita etiam hunc modum asserendi res profanas et quasdam religiosas hanc mentalitatem hagiographorum, nonnisi hoc atque elapso sæculo sufficienter notam factam esse.

111. — Quæ autem est talis implicita assertio hagiographi? Est hæc: *scribo hæc profana vel aliquo modo religiosa, non quidem asserens veritatem obiectivam rei, sed eius veritatem tantum relativam*, i. e. asserens v. g. *de facto talia ab hominibus dici, vel de facto talia in fontibus me invenisse, vel de facto talia esse aptam expressionem, etsi non historicam, veritatis religiosæ* etc. Cum autem obiective verissimum sit, talia iis temporibus dicta fuisse, talia in fontibus ab hagiographis inventa fuisse, talia esse convenientem (= veram) expressionem veritatis religiosæ etc., ideo nullus error in Scriptura invenitur, quamvis inter ea, quæ narrat plurima sint falsa. (Theoria generum literariorum). — Hanc explicationem alii ita exprimunt, ut dicant, in Scriptura nullum inveniri errorem formalem, i. e. nullam oppositionem ad mentem hagiographi scribentis, quamvis inveniantur errores materiales, i. e. discrepantiæ a veritate obiectiva, absoluta.

Hanc scientificam theoriam *quidam applicant ad integros fere libros*, quidam ad integra fere *capita*, quidam ad *minores partes vel ad quasdam sententias* Scripturæ, prout quisque putat integros tales libros vel capita vel partes vel assertiones ex una parte obiective falsas esse, ex alia vero parte cæteros modos, quibus catholici usque nunc eiusmodi errores apparentes explicaverint, sufficere non posse. — Hæc theoria hodie multorum animos occupat. Cf. quæ postea dicturi sumus de sententiis singulis diversorum auctorum.

112. — Ecce textus quidam ex articulo M.-J. Lagrange O. P. in quo hanc doctrinam primus clare et large ut quoddam principium ad regenerandam exegesim utilissimum et fertilissimum proponit in Rev. bibl. 1896 p. 505-18 :

Hagiographus « aurait pu nous enseigner toutes les circonstances avec la même certitude, et nous sommes disposé à les croire vraies, à moins que l'examen du texte ne nous montre que l'auteur n'entend pas les donner pour telles. Toute la nouveauté de notre exégèse consistera en ceci : *tandis que les anciens attribuaient à l'auteur l'intention de tout affirmer tant qu'il ne faisait pas de réserves formelles, nous pensons que ces réserves pourront résulter de la critique, et seront plus facilement supposées dans ce genre littéraire que dans un autre.* Le changement d'idées qui s'est produit a rapport moins à la nature de l'inspiration qu'à celle de certaines histoires » (p. 516). Error tamen abest ab hagiographo : « . . lorsque l'écrivain sacré utilise soit des documents, soit des traditions orales incertaines, il a le privilège du iudicium infallibile de acceptis. Ce jugement le préserve de toute erreur formelle dans ses affirmations, et assure la convenance de ce qu'on pourrait appeler les métaphores nationales ou populaires pour rendre correctement ce qui est proprement enseigné » (ib.).

Rationes cur tantum his ultimis temporibus hanc exegeos rationem cognoverint docti, hæ sunt : « cela venait surtout de ce que *la critique elle-même avait de grands progrès à faire dans la connaissance de l'Orient* et de son histoire ; mais peut-être aussi cela venait-il de ce qu'on considérait les pensées de l'Ecriture comme suggérées toutes faites, et dès lors on leur attribuait non seulement l'inerrance, non seulement une vérité intensive, mais une vérité multipliée, parce qu'en effet il parait étrange que Dieu révèle des pensées qui ne contiennent pas un enseignement immédiat » (ib. p. 508).

113. — Decisiones Commissionis biblicæ relate ad veritatem relativam.

Patet, hac interpretandi ratione, si et in quantum immerito affertur, ex consequenti aut errores obiectivos ipsis hagiographis asserentibus ascribi atque ita indirecte doctrinam de inerrantia lædi, aut eam doctrinam, quæ est de inspiratione omnium et singularum sententiarum Scripturæ negari aut utrumque errorem simul doceri. Unde ut hæc recentior exegesis intra limites debitos contineretur, varia data sunt decreta Commissionis biblicæ : 13 Febr. 1905 « *de citationibus implicitis vel tacitis* » ; 5 Iul. 1905 in genere *de narrationibus* « *specietenus tantum historicis* » ; 29 Maii 1907 *de auctore et veritate historica evangelii S. Ioannis ;* 30 Iun. 1909 « *de charactere historico trium priorum capitum Geneseos* ». Duobus prioribus decretis, quæ generalia sunt seu principia generalia statuunt, affirmatur, talem interpretandi rationem in genere admitti non posse : Non quoad solutiones impli-

citas « nisi excepto casu, in quo, salvis sensu ac iudicio ecclesiæ, solidis argumentis probetur: 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui ». Non quoad narrationes specietenus tantum historicas, « excepto tamen casu, nec facile nec temere admittendo, in quo, ecclesiæ sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere ». Tertio et quarto decreto hæc principia ad casus particulares applicantur.

113bis. — Inde a n. 107 præcipue eam evolutionem doctrinæ extulimus, quæ in eo erat ut viæ quærerentur, quibus inspiratio Scripturæ conciliaretur cum erroribus, qui in ea viderentur contenti. At quamvis speciatim hæ quæstiones tractatæ fuerint, atque praecipue occasione inerrantiæ statuendæ mentes magis cum Scriptura eiusque inspiratione occuparentur, tamen plurimæ quoque aliæ quæstiones dogmaticae, quæ Scripturam respiciunt, post Concilium Vaticanum amplius discussæ sunt. De quibus cum postea accuratius agendum sit, hoc loco hæc breviter efferimus.

Multum inculcatum est, acceptionem notitiæ, quam auctor inspiratus hominibus communicat, viis ordinariis, humanis, fieri potuisse; unde multo magis quam antea in *modum* inquisitum est, *quo hagiographi se circa fontes habere potuerint* atque de facto habuerint. — In *essentia inspirationis* indaganda, quamvis secundum Encycl. « Providentissimus » influxus supernaturalis et in intellectum et in voluntatem ab omnibus agnoscatur, tamen in utroque accuratius describendo non paucæ diversæ sententiæ propositæ sunt atque etiam hodie proponuntur. — Cum specialis quædam differentia stili in operibus alicuius auctoris inspirati (puta Mosis) inveniri videretur, ad hanc explicandam etiam profundius inquisitum est *quousque cooperatio aliorum in componendo aliquo scripto*, stante inspiratione ipsius hagiographi unius (Mosis), *extendi possit*. Qua de re habetur decisio Com. bibl. 27 Iun. 1906. — Plurimum etiam ultimis annis disceptatum est, *qua ratione inspiratio ad electionem verborum extendatur*. — Quod vero *methodum* attinet, quæ *in inquirenda essentia inspirationis tenenda* sit, quidam putarunt, esse relinquendam eam viam qua procederetur ex notione Dei ut auctoris Scripturæ mediantibus hominibus, atque potius progrediendum esse ex notione Dei inspiratoris.

PROTESTANTES.

ACCEDUNT RATIONALISTÆ, MODERNISTÆ.

114. — **Lit.** Quoad doctrinam contentam *in libris symbolicis* Lutheranorum: I. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, deutsch und lateinisch, [10] Gütersloh 1907 s. v. « Schrift » in indice. — In libris symbolicis ecclesiarum reformatarum. H. A. Niemeyer, Collectio confessionum in ecclesiis reformatis publicatarum, Lipsiæ 1840; germanice: Karl Müller, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche, Leipzig 1903. — In libris symbolicis diversarum sectarum: Georg Benedict Winer, Comparative Darstellung des Lehrbegriffes der verschiedenen Kirchenparteien, Leipzig [4] 1882, herausgegeben u. ergänzt von Paul Ewald, p. 41-60; adiungit tamen multa falsa iudicia. — Ipsam rem breviter exhibet I. A. Möhler, Symbolik [8] 1872.

E libris historicis *de theologia Protestantica* cf. v. g. hæc *opera Protestantium*: E. Henderson, Divine Inspiration, London 1836, 574, in Note E et F p. 546-51 opera anglica de inspiratione refert. — I. A. Dorner, Geschichte der Protestantischen Theologie besonders in Deutschland, München 1867, 924. — Otto Pfleiderer, Die Entwicklung der Protestantischen Theologie in Deutschland seit Kant u. in Grossbritannien seit 1825, 1891; pro Anglia speciatim p. 473-94 exhibet iudicia recentiorum de iis, quæ biblia tradit, ut de religione iudaica etc. — Sententias Protestantium in terris linguæ gallicæ collegit E. Rabaud, Histoire de la doctrine de l'inspiration des Saintes Ecritures dans les pays de langue française de la Réforme à nos jours, Paris 1883, 351. — W. Rohnert, Die Inspiration der hl. Schrift u. ihre Bestreiter (a reformatione usque 1889) p. 134-278, 1889. — H. R. von Frank, Geschichte und Kritik der neueren Theologie, insbesonders der systematischen, seit Schleiermacher [4], bearbeitet u. bis zur Gegenwart fortgeführt von R. H. Grützmacher, Leipzig 1908, 532. — Præcipue Otto Ritschl, Dogmengeschichte des Protestantismus I 1908: Die altprotest. Lehre vom bibl. Kanon u. von dessen göttl. Inspiration (Doctrina veterum Protest. de canone bibl. eiusque inspir. div.) p. 153-93. — Otto Zöckler, Geschichte der Apologie des Christentums, Gütersloh 1907, 336-690. — Auguste Sabatier, Les religions d'autorité et la religion de l'esprit [1] 1899 [4] 190 ... Livre deuxième: Le dogme protestant de l'autorité p. 255-407; porro p. 450-5, 472-80.

Ex articulis in Encyclopædiis: Th. Bridet, art. Théopneustie in Encyclop. des sciences religieuses XII 101-11. — Cremer, art. Inspiration in RE. [3] IX 183-203. — T. M. Lindsay, art. Inspiration in The Encyclopædia Britannica v. 13 [9] 1880 p. 154-7.

De *inspiratione speciatim apud Lutherum*, v. v. g. W. Rohnert, Was lehrt Luther von der Inspiration der hl. Schrift? Leipzig. 1890, 28.

– Otto Scheel, Luthers Stellung zur heiligen Schrift, Tübingen 1902, 77. — K. Fr. Nösgen, Die lutherische Lehre von der Inspiration, Gütersloh 1909, 169. — Iul. Köstlin, Luthers Theologie [2] II 1901 p. 7-54.

De *sententiis hodiernorum Protestantium* W. Rohnert: Was lehren die derzeitigen deutschen Professoren der evangel. Theologie über die hl. Schrift u. ihre Inspiration? Leipzig 1892, 133. — Inspiration. A Clerical Symposium ... by the Ven. Archdeacon Farrar, Principal Cairns, Prebendary Stanley Leathes, Rev. Edward White, And Others [3], London.

De Deismo et Rationalismo: Gotthard Victor Lechler, Geschichte des englischen Deismus, Stuttgart 1841. — Schlosser, Geschichte des 18 Jahrhunderts I-IV [5] Heidelberg 1864, V-VIII [4] 1856-60. — F. Vigouroux S. S., Les Livres Saints et la critique Rationaliste [2] 1886 t. II, De Deismo in Anglia et Gallia et Rationalismo biblico in Germania. Applicat omnia speciali modo ad Scripturam. Exponit etiam diversis capitibus, quomodo egerint Deistæ Angli in Deistas Gallos, Angli et Galli in Germanos, Germani iterum in Galliam, Angliam, cæteras terras. — I. Texte, Rousseau et les origines du Cosmopolitisme littéraire, études sur les relations françaises au 19 siècle, Paris 1868. — Alia Lit. van Laak, De theologia generatim, in iis partibus, in quibus ii adversarii religionis christianae exponuntur, qui post 1650 scripserunt.

116. — Ex *operibus catholicis* v. H. Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss II p. 159-63, 182-207. Plura habet de prophetia in genere quam de sola inspiratione ad scribendum. – Plura et magis accurate quam cæteri collegit Dausch p. 107-145, et præcipue Pesch n. 211-71 p. 202-64. — Idem antea in articulis: Die Inspiration der hl. Schrift nach der Lehre der heutigen Protestanten, in ZfkTh (XXV) 1901 p. 452-71, 594-620. — Brevissime documenta quædam apud Bainvel 101-9. — Addo quædam præcipue recentiora ex operibus theologicis Protestantium hausta.

117. — Ex una parte *decet habere quandam accuratam cognitionem doctrinæ Protestantium* de Scripturæ inspiratione et inerrantia. Etenim eorum errores in hac materia e longo tempore sunt late sparsi, diversissimi in suis formis, quam maxime exitiales pro religione revelata, non sine influxu quodam, ut videtur, in sententias etiam quorumdam Catholicorum. Ex alia parte *non convenit, hanc uberiorem cognitionem in ipsis thesibus secundæ vel tertiæ partis huius tractatus proponere,* uti facimus relate ad doctrinam ampliorem auctorum catholicorum. Non in parte demonstrativa earum thesium, cum Patrum et theologorum catholicorum sententiæ theses ingredi soleant ut pars traditionis catholicæ, Protestantium vero non ita, sed tantum ut quædam confirmatio ex parte hæreticorum. Non in parte negativa, cum singularum thesium fere semper iidem sint adversarii et eædem rationes universaliores oppositionis eorum ad doctrinam catholicam. Unde præferendum videtur, uberiorem conspectum doctrinarum præmittere, ad quem in expositione thesium remittatur. Accedit quod hæ ipsæ rationes magis universales, quæ cum generali evolutione

doctrinarum philosophicarum vel theologicarum cohærent, in conspectu generali magis efferri posse videntur quam in tractatione in singulis thesibus.

Indoles generalis evolutionis. — Causæ depravationis doctrinæ de inspiratione. — Sectæ Protestantes veteres maiore ex parte doctrinam de inspiratione librorum sacrorum, quam ab ecclesia catholica hauserant, retinuerunt. Imo haud raro partes Dei in ea exaranda ita exaggerarunt, ut partes auctoris humani deprimerent.

Nihilominus germen dissolutionis huius doctrinæ omnes sectæ in suo ipsorum gremio portabant. Etenim omnes auctoritatem infallibilem ecclesiasticæ traditionis in docendis dogmatibus et in interpretatione S. Scripturæ negabant. Quo errore circa infallibilitatem ecclesiasticæ auctoritatis ad graves errores etiam quoad inspirationem Scripturæ disponebantur.

118. — Ac primo quidem inspiratio omnium librorum Scripturæ in ipsa Scriptura non continetur atque sola traditione pure historica certe non facile probatur. Unde connaturale erat, Protestantes *inspirationem quorundam librorum sacrorum reicere* atque ita animos eorum disponi ad inspirationem omnium reiciendam.

Præterea si conceptum ipsum inspirationis consideramus, certe is clarius in traditione explicatur quam in Scriptura continetur; porro in se sat sublimis est et aliquid omnino præternaturale continet. Unde nemo mirabitur *conceptum inspirationis paulatim a plurimis attenuatum fuisse.*

119. — Tandem *ad ipsam quoque plenam negationem omnis influxus supernaturalis in hagiographos, negatio infallibilitatis ecclesiæ, etsi magis remote, tamen vere disponebat.* Etenim ex una parte humanum genus docente Concilio Vaticano, Ench. 1786, moraliquadam necessitate indiget revelatione ad eum finem, ut « ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore », eaque amplitudine, quæ vitam homine dignam deceat, cognosci possint. Ex alia parte docentibus et aliis rationibus et ipsa sæculorum experientia, *si valedicitur ipsi auctoritati ecclesiasticæ*, quæ ad conservandam revelationem divinam a Christo instituta est, *tandem ipsi quoque revelationi valedicitur.* Unde relicta auctoritate ecclesiastica, homines facile *ad gravissimos errores contra ipsa rationis naturalis principia* asserenda prolabuntur. Inter quas veritates ipsi rationi naturali non impervias una, eaque maximi

momenti, uno sæculo post reformationem nondum expleto, in una e terris Protestanticis a laicis non paucis negari incipiebat: *ipsa possibilitas* dico *atque cognoscibilitas omnis ordinis præternaturalis*, omnis ordinis miraculorum, sive intelligis miracula in intellectu, uti est omnis prophetia, sive miracula in ordine physico. Oriebatur *Deismus*.

120. — *A Deismo ad negandam omnem inspirationem*, etsi ut tenuissimus tantum quidam influxus divinus præternaturalis concipitur, *duplex* in genere *via* patet, una directa, indirecta alia. Primo directa; etenim summum Deismi principium est, omnem influxum miraculosum Dei in mundum iam creatum aut impossibilem esse aut saltem incognoscibilem. Iamvero *inspiratio ut aliquis influxus præternaturalis* ab ecclesia exhibetur. Secundo indirecta, propter *ea* scilicet *quæ Scriptura continet*, idque duplici ex capite. Primo ea quæ enarrat Scriptura, si partes etsi non mole at momento maiores in omni fere libro Scripturæ consideras, *præcipue sunt* hæ: *revelationes divinæ*, eæque ut credendæ, quæ sæpe etiam sunt de veritatibus captum nostrum excedentibus; speciatim quoque *prophetiæ* plurimæ et *miracula* in ordine physico, eaque speciatim ut motiva credibilitatis. Ad ordinem ergo præternaturalem ea omnia pertinent, quæ inter res in Scriptura narratas ab ea ipsa præcipue premuntur.

Quomodo ergo Deistæ concedere poterant, libros plenos narrationibus quæ secundum eos impossibilia aut inutilia aut incognoscibilia ut vere facta referunt, Deum habere auctorem? Deinde libros sacros ita explicabant, ut Deum præcipue Veteris Testamenti omni sapientia et bonitate destitutum exhiberent. Hæc ergo Deus de seipso scribendo testatur?

121. — **Summa capita evolutionis ordine historico.** — Errores vero ad quos dispositio quædam, ut vidimus, in separatione Protestantium ab auctoritate infallibili ecclesiæ continetur, qua ratione historice se evolverunt? Summa capita evolutionis hæc sunt:

Periodus prima *usque ad medium sæculum 18* extenditur. *Prævalebat* tum inter doctos tum in populo *doctrina de Deo vero auctore* Scripturarum omnium. Dominabatur ergo utique in hoc dogmate agnoscendo orthodoxia, at *continui impetus* ex diversis partibus prorumpentes eius regnum mox casurum esse iamiam quasi præsagiebant. Quæ partes adversæ erant et *sententiæ liberaliores Protestantium* et *doctrinæ Deistarum* qui tum e Protestantismo tum e Catholicismo prodierunt. Illi veram inspirationem quidem aliquando tradebant, sæpe negabant, revelationem tamen multarum in Scriptura contentarum

admittebant. Hi nullum influxum præternaturalem fieri aut cognosci posse statuebant.

Altera periodus *a medio fere sæculo 18 usque ad hæc tempora protenditur. Prævalet* inter doctos *veræ inspirationis sive attenuatio sive præcipue negatio*, atque etiam populum acatholicum semper magis occupat. Omnes sententiæ semper magis in Rationalistarum castra confluunt.

Periodus I. — Prævalet affirmatio inspirationis.

Ab initio usque ad ultima decennia sæculi 18.

Orthodoxi.

122. — Indoles generalis evolutionis. — Fere usque ad Concilium Tridentinum *simpliciter præsupponunt sive pronuntiant inspirationem. Insistunt* vero tum libri symbolici tum theologi in iis *perfectionibus fictis Scripturæ*, ob quas traditionem ecclesiasticam se reicere posse putabant. Quæ sunt talia: Scripturam esse unicam regulam fidei, seipsam semper explicare, per testimonium Spiritus Sancti immediate cum singulis communicatum dignosci. Addebat maior pars, Scripturam in forma originalis linguæ plane incorruptæ ad nos pervenisse atque pervenire debuisse. Alias eam non fore authenticam.

123. — Auctores vero catholici semper maiore cum vi demonstrarunt: uti certi simus et de existentia et de sensu Scripturæ, traditionem non uno sub respectu esse necessariam. Imo *Concilium Tridentinum quasdam traditionis partes definitione sancivit.* Ideo theologi *Protestantes*, incipientes a Chemnitz, doctrinam de inspiratione in tantum evolvebant, in quantum *magis solerter demonstrare conabantur, fictas eas perfectiones Scripturæ*, quas ei falso ascribebant, *ex eius inspiratione revera sequi.*

124. — Ad finem sæculi 16 auctores catholici in essentiam inspirationis magis inquisiverunt, quo factum est, ut etiam Protestantes, præcipue inde a Ioan. Gerardus, qui multum theologis catholicis utitur, ipsam essentiam inspirationis magis scrutari inciperent. — Sæpe ad id progrediebantur, ut ad scriptionem etiam earum rerum quæ hagiographis iam notæ erant, infusionem scientiæ requirerent, sæpe etiam verborum sive infusionem sive saltem omnimodam determinationem necessariam habebant.

Unde quamvis ab auctoribus Iudæis, uti Elia Levita († 1549), a magnis theologis catholicis uti Bellarmino, ab ipsis quibusdam Protestantibus, uti Ludovico Cappello (1624) demonstratum esset, puncta hebraica nonnisi Massorethis deberi, tamen maxima pars auctorum Protestantium ex ipsa essentia inspirationis verbalis firmissime deducebat, puncta hebraica ab initio in Scriptura inveniri debuisse. Alias eam non totam esse a Deo. Qua ratione exaggerabant v. g. Amandus Polanus a Polansdorf, Syntagma theologiæ christianæ 1610, Hanoviæ 1625 t. 1 p. 75; Ioan. Buxtorfius filius, 1648 proprio scripto composito.

Scripta Symbolica.

125. — Scripta symbolica *Lutheranorum inspirationem* potius *supponere solent* quam nominare vel describere. Adhibent hinc inde tales expressiones ut: « Num arbitramur excidisse Spiritui Sancto has voces? » Apol. Conf. August. IV 107 Müller o. c. p. 107. Est autem sermo saltem e maiore parte de dictis hagiographorum, quæ ipsi non Deo revelanti attribuunt.

Exceptio quædam est inter Confessiones Lutheranas Confessio **Statuum Thuringicorum** 1549 (Corpus doctrinæ christianæ Thuringicum Iena 1570). Clarissime Deum ut eum exhibet, qui auctoribus humanis ut instrumentis usus fuerit. Deum per prophetarum et apostolorum ora locutum esse, per eorum manus scripsisse.

Confessiones *Reformatorum* sæpius inspirationem saltem *nominant*. Cf. v. g. Confessio Belgica art. 3, 5 (Niemeyer 361-2).

Rigidam inspirationem verbalem statuerat Calvinorum Formula Consensus Helvetica 1675. Secundum eam est « in specie hebraicus Veteris Testamenti Codex.. tum quoad consonas tum quoad vocalia, sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem et tum quoad res tum quoad verba Θεόπνευστος... » Canones, II Niemeyer p. 731. Quæ tamen formula 1725 abrogata est.

Theologorum sententiæ.

LUTHERANI.

126. — Luther plurimis in locis clarissime proponit eam fidem de Scriptura, quam ecclesia catholica docente hauserat. V. g. vocat eam « Epistolas Dei » (ed. Erlangen 52, 344), os Dei (ib. 61, 107). Deum ipsarum narrationum historicarum auctorem esse. Ideo v. g. quærit, cur

ipse Spiritus Sanctus descripserit res quæ videntur indifferentes, v. g. Ioseph scyphum suum in sacco Beniamin posuisse (Enar. in Gen. anni 1536).

Unde Scripturam in omnibus sine errore esse, v. g. in ipsis numeris quos tradat.

Imo falso Lutherus perfectionen Scripturæ ita premit, ut eam unicam regulam fidei constituat. Cf. Möhler § 44.

127. — Primus *doctrinas theologicas Lutheri in systema redegit* Philippus **Melanchton**, « Loci theologici » 1521, Corp. Reform. ed. Bretschneider et Bindseil tomi 28, 1834-60, tomus 21. At non magis quam Erasmus Sarcerius († 1559) in libro: Nova methodus in præcipuos Scripturæ divinae locos, locum proprium de S. Scriptura habet. In 1ª ed. 1521 Melanchton docet, nos « debere omni verbo Dei, minis et promissionibus, *historiæ divinæ* adsentiri ». Ratio est: Scripturam « non humana voluntate, sed (ut Petrus ait) Spiritu Sancto inspirante prodiderunt sancti Dei homines ». — Defendit Scripturam contra Schwenckfeldianos.

128. — Ioh. **Brenz**, Apologia Confessionis ducis Christophori 1558 p. 11 *inspirationem sententiarum, non vero verborum defendere videtur.* « Ostensum est, quod cum dicimus, in doctrina de vero Deo et æterna nostra salute nihil extra et contra Scripturam recipiendum esse, non loquamur de litteris et syllabis, sed de sententiis et rebus ».

129. — Dogmatici Ioh. **Wigand** et Matthæus **Iudex** e gubernatoribus Centuriarum Magdeburgensium, *primam quasi dogmaticam orthodoxam lutheranam composuerunt:* Syntagma seu corpus doctrinæ Christi, ex Novo Testamento . . . congestum, Basileæ 1560. Est quasi quædam theologia biblica Novi Testamenti. Identicum fere est cum partibus duabus: « de doctrina christiana », in 1ª et 2ª Centuria. *Tota Scriptura est verbum quod Deus tradidit.* Speciatim utique ipsa revelatio divina singulis temporibus facta magis premitur.

130. — Matthias **Flacius Illyricus** († 1575) in operibus: Clavis Scripturæ Sacræ 1567 partes 2 (adhibeo ed. Basileensem 1629): item: Von der heil. Schrifft und jrer wirckung, wider Caspar Schwenckfeld 1554, plura cæteris ante eum de inspiratione docet. Utitur Patribus ecclesiæ catholicæ, ad quos continuo recurrit.

Omnia in Scriptura inspirata sunt, etiam omnia historica, præcipue etiam priora capita Geneseos « cum sint summa totius Scripturæ ». Clavis II n. 16 col. 11. Cur Moses de se ipso in tertia persona locutus est? Repetit Flacius rationem a S. Gregorio allatam: « Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu Sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de aliis proferunt. Spiritus ergo Sanctus per Moysen locutus est de Moyse », II n. 135, col. 184.

Verba quoque, quæ hagiographi adhibent, ipse *Spiritus Sanctus elegit:* « Quis dubitat Spiritum Sanctum multo aptius et certius sua sensa, verbis a se delectis, in sacris litteris exprimere potuisse, quam ullus mortalium, sua humana industria, postea in convertendis eius monumentis? »

Consequentia quædam ex eius doctrina est, *etiam puncta hebraica* ab initio in Scriptura fuisse. II col. 644-51.

Nihilominus tantum *abest ut hagiographi cæca fuerint instrumenta* Spiritus Sancti, ut cum S. Augustino multiplex sensus literalis in Scriptura admittendus sit, quem insuper ipsi hagiographi intellexerint: « Sensit enim Scriptor libri sacri in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus invenire et quicquid nos non potuimus aut nondum possumus; et tamen in iis inveniri potest ». II n. 214 col. 205. Stili diversitas ex eo èst quod Spiritus per multos sanctos locutus sit. II n. 29 col. 62.

131. — At hoc opus a dogmaticis Protestantibus in iis quæ ad inspirationem Scripturæ pertinent non tanti videtur factum fuisse quanti opus Martini **Chemnitz**, Examen Concilii Tridentini, Brunsvigae 1565, ed. nova Berolini 1861. Qui auctor *pauca* quidem habet *de ipso conceptu inspirationis*, *plura* autem *de quibusdam consequentiis* quas Protestantes ex eo derivari posse putabant. Cuius rei rationem ipse in: Examen Pars 1 locus 1 sect. 1 n. 4-6 p. 7-8, repetit e methodo recentiori pugnandi auctorum papistarum. Illos enim valde premere imperfectionem, insufficientiam, obscuritatem Scripturarum, ut necessitatem, auctoritatem, perfectionem, claritatem traditionis extollant.

132. — Simili modo Aeg. **Hunnius**, De sacrosancta maiestate indubitataque fide ac certitudine Sacræ Scripturæ propheticæ et apostolicæ Veteris et Novi Testamenti 1594. Argumenta 21 pro ea affert, ipsam autem inspirationem potius supponit.

Aliquid *plus de ipsa inspiratione* attulit Iohann **Schröder**, Opusculum theologicum de principio theologiæ et naturali notitia Dei, Schweinfurti 1605. Deum causam principalem Scripturæ ponit, hagiographos causam administram, Scripturam causam instrumentalem effectuum quos producit. *Opponit inspirationem ut dictationem*, per quam concipiuntur Scripturæ et in lucem eduntur, *ordinariæ cuidam illuminationi*, p. 23. Contra Vulgatam etiam illud profert: *Spiritus Sanctus non solet* ita « *barbare et incomposite loqui*, ut vulgata illa versio, solœcismis et barbarismis referta ». E qua doctrina postea alii quædam quoad ipsam Scripturam inspiratam deduxerunt.

133. — De *ipso conceptu inspirationis primus* inter Protestantes cæteris *uberius egit* Io. **Gerardus** in scripto: Exegesis sive uberior explicatio articulorum de Scriptura Sacra, De Deo et persona Christi, in tomo primo Locorum theologicorum concisius pertractatorum, 1625. Ed. Frank Lipsiæ 1885 p. 11-240. (Loci prodierunt 1609-22). In multis secutus est theologos catholicos. Deum habet causam principalem Scripturæ, hominem instrumentalem c. 2 p. 1-25, idque ita, ut *singula vocabula et singulæ litteræ* (ut Samech Iud. 12,6 loco Shin) *ad Spiritum Sanctum determinantem referat*. Unde *etiam puncta hodierni textus hebraici* a primis auctoribus originem ducere. Alias nostram bibliam non fore authenticam. c. 15 p. 144-51. Exemplum citatum v. p. 150.

134. — Abraham **Calovius** in: Systema locorum theologicorum 1665 I c. 4 Scripturam etiam habet ut instrumentum sanctificandi per modum quo humanitas Christi atque Sacramenta sanctificant. Imo eam esse in-

strumentum non mortuum, cum in Scriptura sit « mystica verbi cum Spiritu Sancto unio ».

135. — Io. Andreas **Quenstedt** in: Theologia didactico-polemica sive systema theologicum 1685, sect. 1 c. 4 thesis 2, inspirationem exponit. Reicit ille quidem errorem Montanistarum, at *suggestionem rerum scribendarum* ita explicat, ut, *etsi hagiographi eas iam aliunde sciant*, tamen per Spiritum Sanctum omnia « in ipso actu scribendi intellectui eorum quasi in calamum dictata sint ». Hanc dictationem autem non esse revelationem, quippe quæ essentialiter sit rerum nondum cognitarum; eam *esse* potius « *actionem Spiritus Sancti, qua actualis rerum cognitio intellectui creato supernaturaliter infundatur* » in ordine ad scribendum. Cum etiam verba a Spiritu Sancto infusa sint, *blasphemum esse, solœcismos, barbarismos in Scripturis invenire velle.*

CALVINISTÆ.

136. — Ioa. **Calvinus** de Scriptura agit in Institutio Religionis Christianæ 1543 c. 8 n. 142, Corpus Ref. ed. Baum-Cunitz-Reuss tom. 29 p. 631. In Vetere Testamento Deus « Prophetias quoque scriptis mandari præcepit et haberi verbi sui partem. His simul accesserunt historiæ quæ et ipsæ prophetarum sunt locutiones, sed dictante Spiritu Sancto compositæ » col. 631. Etiam apostoli scripserunt « præeunte et verba quodammodo dictante Christi Spiritu ». « Fuerunt certi et authentici Spiritus Sancti amanuenses et ideo *eorum scripta pro Dei oraculis* habenda sunt ». n. 145 col. 633. *Stilus est Spiritus Sancti.* Eo quod aliquando splendidum dicendi genus adhibuit, Spiritus Sanctus ostendere voluit, « non sibi defuisse eloquentiam, dum rudi et crasso stilo alibi usus est ».

137. — Henr. **Bullinger** e factione Reformatorum *primus* ut videtur e protestantibus theologis *maiorem monographiam de Scriptura edidit:* De Scripturæ Sanctæ auctoritate, certitudine, firmitate et absoluta certitudine etc. ll. 2 Tiguri 1538. Affirmat « instinctum Sancti Spiritus » fol. 8. Idem in scripto: ad Io. Cochlæi de canonicæ scripturæ et catholicæ ecclesiæ auctoritate libellum... orthodoxa responsio ib. 1544 effert « *Scriptura... ipsissimum est os Dei* ac verbum Dei, ut domini Dei verbo credat, qui scripturis credit ». Ex alia tamen parte admittit. « *scriptores nonnunquam memoria falsi hallicinantur* ».

138. — Similia habent v. g. Andreas **Hyperius**, Wolfgang **Musculus** † 1563, qui data opera Deum *etiam narrationum historicarum* Scripturæ auctorem statuit, quæ ideo fide divina suscipiendæ sint; loci communes 1560, ed. Basileæ 1600 p. 192.

In genere theologi Calvinistæ usque ad illud fere tempus, quo controversiæ contra Decreta Concilii Tridentini initium sumpserunt, vix accuratiora magistro afferunt.

139. — Post quod tempus Hieronymus **Zanchius** † 1590 *monographiam* habet: De sacra Scriptura tractatus integer, Opera theol. 1-8, Genevæ 1619 p. 319-432. *Largam expositionem textus 2 Tim. 3, 14-7*

proponit, atque ex eo præcipuas *qualitates* evolvit, quas Protestantes Scripturæ attribuebant.

140. — Andreas Rivet † 1651, Isagoge seu Introductio generalis ad Scripturam Sacram Veteris et Novi Testamenti 1627, Opera theol. quæ latine edidit 1652 p. 853-1040 *accuratam de inspirationis natura doctrinam* exhibet. Capita hæc sunt:

Non utique humana voluntate allata est, secundum S. Petrum, prophetia. Tamen hagiographi *scripserunt cum conscientia atque intellectione, cum libertate.* Voluntas humana ea quidem erat, at non naturalis nostra ordinaria; neque ea iustificatorum qua ad bona opera excitantur; sed erat *voluntas extraordinario modo excitata a Spiritu Sancto idque influxu ita necessitante, ut* non esset hagiographorum potestati permissum scribere an non, hoc modo an illo, hoc tempore an illo, his verbis an illis.

Si res notas scribebant eæ antea iis non debebant revelari, dictari tamen debebant i. e. hagiographi debebant a Spiritu Sancto *impelli ad scribendum atque ita dirigi ut in scribendo a veritate non deviarent.* Unde est, ut etiam quæ oculis propriis viderint, tamen postquam scripta sunt, divina auctoritate gaudeant.

Etiam verba dictavit Spiritus Sanctus. At in quo est hæc dictatio? In eodem, in quo dictatio rerum quas iam sciebant, i. e. hagiographis ita assistebat Spiritus Sanctus ut verba aptissima adhiberent; at verba iis non revelabantur, sed ita ipsi *dirigebantur, ut propriam sollicitudinem adhibentes, in verbis eligendis non errarent.* Aliquando forte Spiritus Sanctus suggestione mutavit expressionem minus aptam, quam alias scripturi fuissent. — Cæterum etiam cogitationum veritas a verbis dependet.

Sequitur *nullum errorem esse in Scriptura.* Nam in omnibus rebus scribendis, etiam profanis, sub ductu Spiritus Sancti constituti erant. Saltem sub immunitate ab errore erant, si quando forte hoc vel illud humano spiritu scripserint.

Unde Deus non tantum est causa prima relate ad libros sacros, eo modo quo se habet ad omnem plane librum conscribendum; sed est auctor « proprius et singularis » eorum; hagiographi vero habendi sunt « non tam auctores secundarii, quam calami viventes et scribentes ». At sicut homo prudens calamos diversorum generum adhibet pro diversa scriptione efficienda, ita *Spiritus Sanctus usus est hominibus diversae indolis et stili*, ut diversos dirigens, eandem veritatem modis diversis enuntiaret.

141. — Gisbert Voet, Selectæ disputationes theologicæ t. 1, Utraiecti 1648 laudat doctrinam de inspiratione, quam Cornelius a Lapide proponit in 2 Tim. 3, 16. Ipse p. 29 sq. inter alia hæc statuit: *Per defectum peccant, qui* dispositionem, exornationem, phrasim, *stilum* in omni re quam hagiographi scribebant, *non immediate ad Deum revelantem reducunt;* per excessum vero qui ut authentica admittunt, Keri et notas marginales textus hebraici Veteris Testamenti.

ANGLICANI.

142. — Inter Anglos William **Whitaker** † 1595, conscripsit: Disputatio de Sacra Scriptura contra huius temporis papistas, Herbornæ 1590. Qui papistæ sunt præcipue Bellarminus et Stapleton. Item « Pro authoritate atque autopistia Sacræ Scripturæ duplicatio contra T. Stapletonum », Catabrigiæ 1594. Etiam stilum esse Spiritus Sancti. « *Postquam stilus esse Spiritus Sancti deprehensus est, hinc vera esse, quæ scribuntur, necessario sequitur* ». Pro authoritate etc. p. 115.

143. — Samuel **Clarke**, † 1729 celeberrimus inter Anglicanos theologos, 1699 edidit tractatum « Divine Authority of the Holy Scriptures », in quo speciatim contra Richard Simon egit. Maiorem ponit numerum earum veritatum quas hagiographi *tantum per revelationem cognoscere potuerint c. g. quæ Lamech mulieribus suis dixerit.* Talia omnia in eorum mentibus a Deo impressa fuisse. Nihilominus Spiritum Sanctum *usum fuisse eorum ratione et intellectu.* Inspirationem fuisse attemperatam et accommodatam singulorum ingenio. *Verborum plenam inspirationem ad essentiam verbi divini habendam plane essentialem esse*, ita ut, si signa vocalium Hebræorum Massorethis originem suam deberent, divina auctoritas Sacræ Scripturæ iamiam periisse dicenda esset. Cf. Hunt, II p. 322-8.

Sententiæ liberiores.

Indoles generalis. — Quidam tantum negabant, cum inspiratione inerrantiam etiam in rebus minoris momenti coniunctam esse. Plures rationem Scripturæ ita explicabant, ut ea in multis quidem partibus contineret revelationem, *in historicis vero et similibus partibus Deum non haberet auctorem, sed tantum vadem infallibilitatis.* Quæ sentiendi ratio, antea hinc inde sparsa, post medium sæculum 17 semper plures occupavit. Qui ita docebant, in diversis terris et sectis inveniebantur.

IN GERMANIA.

Etiam hoc loco **Luther** nominandus videtur. Etenim mira de Scriptura pronuntiavit, quæ certe difficile ex eo solo explicari possunt, quod inspirationem unius vel alterius libri negaverit. Ipsum Mosen nunc habet fontem « omnis sapientiæ » (Vorrede auf das alte Testament, Erl. 63, 22) nunc « deteriorem papa et diabolo et prorsus non audiendum ». (Com. in Gal. Op. lat. Erl. 2, 145). Quando catholici Scripturæ locos de bonis operibus premebant, respondit: « hunc servum (Scripturam) tibi relinquo, ego urgeo Dominum, qui rex est Scripturæ ».

Unde uti multi Orthodoxi propter ea, quæ n. 126 p. 64-5 de Luther retulimus, ita multi liberales propter tales sententias quas e plurimis

nunc exhibuimus, Luther ut parentem suæ ipsorum doctrinæ de inspiratione salutant.

Diversi quidem auctores studuerunt omnia dicta Lutheri ita explicare, ut inter se non contradicant atque divina origo Scripturæ semper salva sit. Ita v. g. Nösgen o. c. Rectius forte ipse Protestans Scheel o. c. p. 76 : « Fere ausus fueris eloqui paradoxon illud, in ipsis contradictionibus consistere unitatem ». Alia p. 74-7. Mitioribus verbis etiam Seeberg o. c. p. 13 Luthero contradictiones ascribit.

146. — Ipso adhuc Luthero vivente **Anabaptistæ** aliique **pseudomistici** Scripturam ut litteram mortuam habuisse videntur, cui, saltem, ut nunc habetur, impune contradicere liceret. Cf. Möhler § 59 p. 475.

IN ITALIA.

147. — **Faustus Socinus** in libro de auctoritate Scripturæ inter 1562-74 in Italia conscripto (Bibl. fratrum Polonorum 267), directionem superiorem, sub qua sacræ Scripturæ condebantur, « ad id limitabat, quod Deo disponente nonnisi *per pios, honestos, eruditos viros* compositæ sunt ». Ita Möhler p. 606-7 § 88. Errores in rebus minoribus admittebat.

IN GALLIA.

148. — Uti quidam alii Professores **Academiæ Salmuriensis** (Saumur), ita Camëron, Opera 1658 p. 472 sq. 597, quamvis inspirationem non neget, tamen præcipue insistit in ipsa divinitate doctrinarum revelatarum quæ in ea continentur. Discipuli eius testimonium Spiritus Sancti ut criterium inspirationis reiecerunt atque ad probationes alias uti historicas se receperunt. In quo utique recte procedebant. At cum auctoritatem ecclesiæ negarent, probationes eiusmodi potius contrarium effectum habebant.

IN HOLLANDIA.

149. — Hugo **Grotius** Arminianus, Opera theologica, Amstelodami 1679 p. 672 concedit, omnes quidem libros hebræi canonis esse scriptos « cum pio animi motu », negat vero omnino, omnes esse inspiratos. *Omnia historica et similia esse scripta cum pio illo motu, at sola vaticinia et dicta Christi essa verba Dei.* Putat ergo, Scripturam continere quidem verba Dei, at non habere Deum auctorem.

150. — Eadem ratione Ioan. **Leclerc** (Clericus) † 1736, etiam ipse Arminianus, Réponse au livre intitulé Sentimens de quelques théologiens de Hollande sur l'histoire critique du Vieux Testament, Amsterdam 1686, insistit in eo quod Scriptura continet verbum Dei revelatum ; *quæstionem de ipsa inspiratione potius relinquendam esse.* — Theologi vero qui talia liberiora statuebant, eo tempore ab ipsis Calvinistis ut hæretici habebantur.

IN ANGLIA.

151. — Quakeri *interno lumini soli*, sine externis illis et visibilibus supplementis (uti essent verba et signa) *se credere affirmant.* V. Roberti Barclaii Theologiæ christianæ veræ Apologia, London 1729 p. 29; cf. p. 287 sq. Debebant ergo per se etiam Scripturam reicere, id quod tamen non faciunt.

152. — Non-Conformista Richard **Baxter** † 1691, Practical Works ed. 1830 v. 23 in 8, v. 21 Part 2: More reasons for the Christian religion and no reason against it, *concedit errores in Scriptura inveniri.* Etenim *eam continere utique* « *omnem nostram* » *religionem, at etiam* « *aliquid plus* », i. e. *quædam accidentalia*, seu quasi tantum integralia membra corporis religionis nostræ. Posse credi, unam partem Scripturæ esse verbum Dei, non vero aliam. Bono Christiano licere dubitare, num ii qui tantum erant evangelistæ, uti Marcus et Lucas, habuerint eamdem promissionem infallibilis assistentiæ Spiritus atque apostoli. Cf. Hunt I p. 461-2.

Daniel **Whitby** † 1726 in: General Preface operis: A Paraphrase of and Commentary on the New Testament, inter alia recta etiam hoc non probandum affert, hagiographos in historicis partibus Novi Testamenti referendis fuisse quidem directos in omnibus, quæ necessaria sint ad fidem factis relatis habendam, non vero in iis quæ ad talem finem necessaria non sint. Cf. Manning, The Temporal Mission of the Holy Ghost ² 1860 p. 132-3.

153. — Archiepiscopus sedis Canterbury John **Tillotson** † 1694, Works 13 v. in 8 1757 v. 12 p. 102-34 hæc docet: Quæstionem, num omnia scripta Novi Testamenti inspirata fuerint, non esse tanti momenti, dummodo sciatur, ea nihil continere quod iis scriptis opponatur, quæ vere inspirata sunt. « *Inspiratos scriptores in tantum habuisse assistentiam, in quantum hoc necessarium fuerit ad hunc finem* » ... « *ut mundum certum redderent de mente et voluntate Dei* ». Hoc ad essentiam inspirationis salvandum videtur ei sufficiens esse. — Cæterum recte revelationem credendorum ab inspiratione distinguit. *Determinationem verborum* vi inspirationis *reicit.* Cf. Hunt II p. 108-9.

154. — Non-Conformista Edmund **Calamy** † 1732 edidit: « The Inspiration of the Holy Writings of the Old and New Testament considered and improved. In fourton sermons preached at the Merchant's Lecture at Salter's Hall 1710 ». *Inspirationem esse impressionem in imaginationem personæ inspiratæ.* Ideas communicari ita, uti verba communicent cogitationes, eo scilicet, quod producatur motio in cerebro. Impressionem hanc factam fuisse ita, ut *nemo ex hagiographis dubitaret, has suggestiones esse vocem Dei.* Naturalem intellectionem auctorum inspiratorum non fuisse ablatam: eos vi inspirationis fuisse *præservatos ab errore.* Cf. Hunt III 234.

155. — Conyers **Middleton** † 1750 concedit, *scriptores Novi Testamenti* in interpretandis quibusdam vaticiniis *errasse*, porro etiam inter se contradixisse. Eos non fuisse infallibiles in vita et sermonibus; cur ergo in scriptis? Cf. Hunt III p. 69, 70.

156. — Soame **Jenyns** † 1787, in opere: A View of the Internal Evidence of Christian Religion, Works, London 1790 t. 4 p. 1-123 postquam religionem christianam positive stabilivit, se accingit ad solvendam difficultatem, Scripturam errores continere. Respondet, Scripturas non esse revelationes, sed historiam revelationum. *Historiam esse opus hominum, sed fidem in revelationem non affici hominum fallibilitate, cum revelatio internam evidentiam suæ supernaturalis excellentiæ præ se ferat.* Quodsi dicatur, Scripturam esse verbum Dei, hoc eum tantum sensum fundere: Scripturam esse receptaculum in quo depositæ sint omnes revelationes, quas Deus hominibus fecerit. Deum permisisse ut errores miscerentur cum Christianismo temporibus posterioribus; ergo idem permitti potuisse eius initiis. Cf. Hunt, III p. 332.

157. — Joseph **Priestley** † 1804, ex secta Unitarianorum, statuit, ad essentiam Christianismi eiusmodi doctrinas ut de inspiratione infallibili non pertinere. *Magnum quid esse, invenisse, revelationem christianam defendi posse quin credatur, scriptores librorum sacrorum nunquam errasse.* Sufficere ut credatur, eos fuisse homines probos atque ita inspiratos ut omnes viros probos. Cf. Hunt III p. 264.

IN SVECIA.

158. — Emanuel **Swedenborg** † 1772 simili modo ut antea Gnostici ob doctrinas suas dogmaticas, omnes epistolas et Actus e canone Novi Testamenti removet. De quo v. Mohler § 84 p. 586.

Deismus.

159. — Indoles generalis periodi. — Ipse error. — Exorti sunt qui Scripturæ et scriptionem et materiam contentam omni ex parte naturalem haberent. Etenim omnem influxum præternaturalem impossibilem statuebant. Imo generatim iudicabant stulta atque impia plurima in Scriptura inveniri. Deistae sunt.

Qua ratione in excolendo errore diversæ terræ inter se exceperint. — Deistæ, orti fere medio sæculo 17 *in Anglia*, in ea terra plurimum influxum habebant. At etiam maiorem exercebant inde *ab initio sæculi 18 in Gallos.* Etenim primo opera Deistarum Anglorum gallice versa, plurimum spargebantur. Deinde capita Rationalismi, uti Voltaire, ad Deistas anglos profecti, eorumque doctrinis imbuti, eas stilo etiam magis apto ad Gallorum animos commovendos, pro-

ponebant, imo eas etiam magis impias reddebant. Cum eo quod ad Germanos importantur, nova periodus postea describenda initium sumit.

Sufficit adducere pauca quædam exempla perversionis idearum ad Scripturam applicatæ. Ampliora ad generalem historiam Rationalismi pertinent. Cf. Lit. datam n. 114-6 p. 59-60.

IN ANGLIA.

160. — Anthony Ashley Cooper Earl of **Shaftsbury** † 1713 in Miscellaneous Reflections Misc. 2 ch. 2 t. 3 p. 70-1 *ironice* de se in tertia persona loquens, *hæc proclamat:* cum hominem utique « *de miraculis et inspiratione modernis* » *cum irrisione loqui, quantum autem ad ea, quæ de sæculis anterioribus relata sint, eum se submittere* « *opinionibus per legem statutis* ». Cf. etiam Misc. 5 et 3, 315-6. — De essentia inspirationis agit in alio opere: A letter concerning Enthusiasm § 7 t. I 1733 p. 53. Quo in loco hanc phrasim adhibet: « Inspiratio merito appellari potest divinus quidem Enthusiasmus ». *Eandem esse essentiam Enthusiasmi poëtarum, hagiographorum.*

161. — Hen. St. John Lord Viscount **Bolingbroke** † 1751, ad hoc in operibus suis philosophicis progreditur ut Works, 5 in F, ed. London 1754, t. 3 p. 299 pronuntiet: « *Blasphemia est, affirmare Scripturam esse inspiratam* ». « Sunt *defectus tam grandes et mendacia tam palpabilia fere in omni pagina Scripturæ*, omnis eius indolis eiusmodi est, ut homo qui admittit existentiam Entis supremi, perfecti credere nequeat, Scripturam esse eius verbum ». Speciatim ideam, quam Vetus Testamentum de Deo proponat, esse plane indignam.

IN GALLIA.

Libertinismus atque Scepticismus ætatem Deistarum iamiam præparaverant.

162. — Scepticus Pierre **Bayle** in Dictionnaire historique et critique 1697 (art. Beaulieu note E.) affirmat, nos non debere ad id tendere, ut probemus *divinitatem et auctoritatem librorum sacrorum;* talia enim *non pertinere ad veritates quæ demonstrari possint.*

163. — François-Marie Arouet de **Voltaire** † 1778, Deistas anglos qui ante eum scripserunt arte scribendi longe superavit, *ideas* eorum *collegit* collectasque quasi ad unam ideam principalem, scilicet naturalis evolutionis omnium rerum historicarum, etiam religionis, aliqua ratione reduxit.

Omnes ideas Voltaire contra libros sacros e 19 eius scriptis optime composuit P. Sackmann in articulis duobus: Voltaire als Kritiker der Bibel und des Christentums, in: Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie II 1906 p. 399-421, 494-571. — Præterea de modo quo Voltaire contra Scripturam pugnavit cf. Vigouroux o. c. p. 212-72.

P. Sackmann l. c. p. 531 quæ Voltaire contra libros inspiratos egit ita breviter comprehendit: « Illud iudicium Voltaire de biblia, quod omnia complectitur, est atque manet quam maxime hostile: *in hoc libro nullam esse paginam, quæ non contineat errores contra geographiam, chronologiam, leges naturæ atque historiæ, sanum hominum sensum, honorem, probitatem, pudorem* ». Singulos tales errores ut argumenta contra inspirationem librorum sacrorum affert. Etenim in scripto Catéchisme de l'honnête homme hoc recte habet: « si dicitis, hos libros a Deo esse scriptos, vel unum *falsum factum demonstrat librum esse mendacium*, cum sciatis Deum mentiri non posse ».

Errores infinitos illos ut inveniat, Voltaire Scripturam maxima cum levitate falso explicat, imo neque abhorret ab ipso textu hinc inde mutando. Quod attinet ad modum exhibendi suas doctrinas, totus stilus ad id compositus est ut faciat libros sacros rideri atque contemptui haberi.

Scripta eius præcipua contra Scripturam v. Sackmann l. c. p. 400, Vigouroux o. c. p. 542. Duobus annis ante mortem edidit: La bible enfin expliquée, quo in scripto pessima plurima congerit.

Periodus II. — Prævalet negatio inspirationis vere talis.

Ab ultimis decenniis sæculi 18 usque ad hæc tempora.

164. — Indoles generalis periodi. — Initium huius periodi eo factum est, quod medio fere sæculo 18, *Deismus* directe ex Anglia, indirecte e Gallia *ad Germanos propagabatur*. Germanice vertebantur libri et Deistarum et adversariorum eorum in Anglia, qui tamen sæpissime concedendo quæ haud concedenda erant, etiam ipsi causæ revelationis atque Scripturæ nocuerunt. Præparatum erat solum philosophia quadam quæ saltem mysteriorum revelationem reiciebat. Ita inter Germanos Rationalismus biblicus exortus est.

At postquam ad Germanos etiam penetraverat Rationalismus, hegemonia in eo firmando atque propagando ad doctos Germanos acatholicos transiit. Qua usi sunt eo successu, ut ab eo tempore veræ inspirationis negatio et inter theologos Protestantes prævaleret et ad alias nationes præcipue Protestantes multo efficacius propagaretur, quam antea, aliis agentibus, factum erat. Principia nempe Deismi eorumque applicationem ad Scripturam magis scientifice excolebant. Medium autem quod adhibebant erat tum *applicatio philosophiæ falsæ, tum usus, in hac materia non methodicus, scientiarum variarum, quibus in multis aliis materiis vere methodice utebantur*. Sunt vero præcipue eæ scientiæ, quæ *positivæ* dicuntur, atque speciatim eæ quæ aliqua ratione ad historiam revocantur. Atque *quasi subito hic influxus ad*

Helvetos et Gallos Protestántes transiit. In Anglia autem modo quodam universaliori vix se ingerere visus est ante medium sæculum 19.

165. — Divisio adversariorum inspirationis. — Exercitus adversariorum apte in duas alas dividi posse videtur.

Ala dextra: Inspiratio est in sensu religioso, quo revelatio, proprie vel improprie talis, at obiectiva, essentialiter recte refertur. — Eos qui ita sentiunt *conservativos* vocare in usu est. Negant illi quidem eam inspirationem, quam ecclesia catholica statuit, admittunt tamen, de revelatione divina in Scriptura, in quibusdam locis sermonem esse. Hagiographos in tantum inspiratos fuisse, in quantum, sensu religioso pleni, eiusmodi documenta historica scribebant, in quibus revelatio v. g. Christi referebatur.

Qui ipsi auctores *in multas diversas partes abeunt*, primo *quoad essentiam revelationis* quam in Scriptura referri dicunt; secundo *quoad gradum veritatis historicæ*, quam iis documentis historicis ascribunt.

Ac primo quidem semper magis decrevit atque *decrescit numerus eorum, qui revelationem proprie talem*, seu locutionem Dei attestantem a sacris auctoribus referri *concedunt*. Sunt qui revelationem divinam in factis ordinis historici, uti fatis populorum reponant; sunt qui in cognitionibus vel emotionibus animi spontanee excitatis etc.

Porro *fidem historicam documentorum istorum, diversi diverso in gradu admittunt. Generatim concedunt errores, nedum in rebus profanis*, vel *in ipsis doctrinis religiosis* ab hagiographis doceri; quidam eos minus graves esse volunt. Quidam eos etiam graviores esse permittunt, at etsi graves sint, eos tamen inter se ita corrigere aiunt, ut essentialis veritas religiosa, v. g. Christus, quantum satis est, nobis exhibeatur.

166. — Ala sinistra: Scriptura in tantum potest dici inspirata, in quantum sensus religiosos hagiographorum continet atque apta est, qua similia evocentur. — Ad hanc extremam sententiam a quibusdam sententiis prioris partis lento sed certo passu pervenitur.

Ac primo quidem qui ab ala sinistra stant *nullam religiosam auctoritatem Scripturæ admittunt*, ne eam quidem, ut revelationem latiore quodam sensu, in factis contentam, nobis impositam esse concedant. Imo historia religionis revelatæ quam Scriptura texit, pro iis non est nisi mutatio paulatim facta religionis, ab infimis quibusdam gradibus, uti Politheismo, Fetischismo ad gradus minus damnandos; postea ad perfectionem — relativam illam quidem — religionis Christi; iterum proh dolor, ad statum inferiorem religionis non Christi,

sed Christianorum ætatis apostolicæ, quæ herois illius religiosi unici, Christi, experientias assecuta non sit. — At etiam in hac ala adversariorum inspirationis multæ sunt sententiarum differentiæ.

Secundo *fidem historicam Scripturæ* generatim flocci faciunt, eamque *fere legendarum collectioni æquiparant.*

Unde pro iis Scripturæ inspiratio fere non est aliud quam facultas, qua hagiographi experientias suas religiosas i. e. sensus dependentiæ ab absoluto apte scriptis consignare possint. Quam aptitudinem præcipue ex eo cognosci, quod Scriptura de facto in legentibus experientias religiosas evocet.

Non uno tamen modo solvunt quæstionem, num ad has experientias religiosas excitandas necessario ad Scripturam recurrendum sit; cur porro, si hoc statuunt, Scriptura ad hunc finem necessaria vel saltem præferenda sit. Quidam, iique magis cohærenter, statuunt, has experientias religiosas nequaquam tantum tunc haberi posse quando Scriptura legatur. Unde singulis relinquendum esse, qua ratione eas acquirere velint. Hodie iam inutile esse pro aliqua speciali auctoritate Scripturæ pugnare velle. Neque necesse esse, tales experientias cum Christo cohærere. Alii aliquo modo coniunctionen cum Scriptura requirunt, præcipue ut ad Christi experientias perveniatur.

GERMANIA.

167. — Johann Salomon Semler † 1791 quasi parens est Rationalismi biblici in Germania. Docet hæc: Distinguenda est primo religio (ad quam fides pertinet) a theologia. Fides est fiducia in Deum, theologia propositiones format. Hæ semper et necessario mutabilem tantum seu relativam veritatem habent (Hoffmann p. 41-50). Distinguenda est secundo religio publica a privata. Illa consistit in externis institutis et doctrinis ab ecclesia aliqua stabilitis, hæc in singulorum persuasionibus.

Iamvero quæ sunt partes Scripturæ in eiusmodi theologia, fide, religione publica atque privata?

Libri canonici ii sunt, qui eo quod continent, se divinos manifestant. Iamvero quod divinum est, debet 1) semper valorem suum retinere, debet 2) « ad emendationem moralem conferre ». Iamvero 1) *quæ ad res naturales pertineant, quæ porro pro certis personarum circumstantiis scripta sint, universalem valorem habere non posse.* 2) Quosdam libros integros, multas partes aliorum librorum *ad emendationem moralem non conferre.* Ergo *eos libros, eas librorum partes divinas non esse.* Porro multos errores ad ipsam quoque religionem pertinentes vel in ipsa doctrina Christi atque apostolorum contineri.

Scripturam ad summum posse vocari inspiratam a parte potiori, a quibusdam revelationibus, quæ etiam scriptæ fuerint. Non libros sed per-

sonas inspirari. *Theopneustiam esse communicationem veritatis divinæ prophetæ factam, sive facta ea sit quando scripta sua condebat, sive alio tempore.* (Abhandlung von der freien Untersuchung des Kanon IV p. 328). Inspirari autem iis tantum eiusmodi res, quæ iis nondum fuerint notæ.

Id ergo esse momentum librorum sacrorum, quod sunt « unica documenta religionis christianae atque ideo pro omni Christiano primus fons cognitionis christianæ ».

Unde partes divinas a cæteris distinguimus? Per testimonium Spiritus Sancti, i. e. per internam persuasionem de veritatibus quæ in S. Scriptura continentur. Cum hæ persuasiones in singulis secundum diversam vitam eorum religiosam diversæ sint, singulos non plane eundem canonem habere posse. In multis tamen partibus omnes consensuros esse. — Cf. Hoffmann p. 75-90.

Cf. Commentarii historici de antiquo christianorum statu, Halæ 1771 § 27 sq. p. 35 sq. — Opus eius celebrius est: Abhandlung von der freien Untersuchung des Kanon... Halle v. 4 1771-6 — Institutio ad doctrinam Christianam, Halæ 1774 l. 2 de Scriptura sacra §. 87-95 p. 239-66. — Theologicum systema Semler e plurimis eius scriptis composuerunt H. Schmid, Die Theologie Semlers, Nördlingen. 1858. — Gastrow, C. Caro, H. Hoffmann, L. Zscharnack, omnes 1905, ubi plura invenies. — Pesch n. 232. — Dausch p. 125. — Usus sum præcipue Henr. Hoffmann, Die Theologie Semlers, Leipzig 1905, 128.

168. — Immanuel Kant præcipue fundamenta philosophica iecit, in quibus alii theorias suas biblicas superstruerent. Diversa principia proponit, ex quibus ad parvipendendam Scripturam qua inspiratam perveniri debebat. Etenim secundum Kant tantum ea ad religionem conferunt, quæ ad id inserviunt, ut boni fiamus. Iamvero *ad hoc ut boni fiamus neque confert fides ob auctoritatem loquentis Dei*, cum non sit actus bonus, *neque* ea inserviunt quae *historica* sunt. *Unde scriptura* neque quatenus revelata est neque quatenus historica facta continet, *ad religionem veram*, i. e. christianam *pertinet*, sed *tantum eatenus, quatenus ea quæ continet cum iis conveniunt quæ religio naturalis docet.* — Insuper Deus per Scripturam nobis loqui dicitur. Locutio Dei autem cognosci nequit. — Ecce ideæ quæ inde ab eo tempore resonant in libris qui infiniti sunt numero et diversissimi generis, etiam in eiusmodi operibus, quibusm ulti Protestantes theologiam suam proponere intendunt. — Cf. præcipue: Religion innerhalb der Grenzen der reinen Vernunft 1793 ed. Hartenstein VI 1867 p. 97-301. — Pesch n. 238 p. 226-9.

169. — J. A. L. Wegscheider, Institutiones theologiæ christianæ dogmaticæ [8] 1844, De divina Scripturæ S. auctoritate agit § 36-44 p. 165-9. — Operibus suis multum divulgatis valide contulit ad Rationalismum biblicum late spargendum. — Uti revelationem ita inspirationem supernaturalem impossibilem habet. *Revelationem* ad id reduci quod homines « Deo digna et a Deo omnis veritatis veræque religionis auctore supremo, per naturalem quidem causarum seriem derivanda, ediderunt ». § 44

p. 188. « *Inspirationem* vero scriptorum sacrorum *in eo ponere licet, quod* ii, Deo iuvante, ad cuius voluntatem et efficientiam cum quævis animi sensa bona, tum *suas quoque de religione sententias pie referebant, has scriptis consignaverint, quæ*, etiamsi lectoribus illius ætatis destinata fuerint, tamen *ita comparata sunt, ut etiam nunc religionis christianæ notitia* ac doctrina aetatis cultioris quoque luminibus accommodanda *inde hauriri possit* », ib. p. 190.

170. — Multum attendenda est doctrina quam proponit Fridericus Schleiermacher. Etenim Protestantes eum ut initiatorem theologiæ suæ recentioris habere solent. — Hic religionem quidem habet ut sensum dependentiæ ab absoluto, revelationis vero hanc notionem proponit: est specialis quidam motus religionis qui in homine sua sponte oritur, non vero ex influxu ullius hominis derivari potest. — Secundum Schleiermacher religio et revelatio summo gradu inveniuntur in Christo. *A Christo religiosus sensus*, qui etiam Spiritus Sanctus dicitur, *in Apostolos transiit. Hoc significamus, cum dicimus apostolos inspiratos fuisse.* Erant vero pleni Spiritu Sancto seu sensu religioso in omni opere ad quod se accingebant, ergo etiam quando scribebant. Aliis verbis: *erat in iis inspiratio, at* personarum, *personalis, in quantum hæc* personalis inspiratio *opponitur et reali, quæ est rerum scribendarum, et verbali, quæ est verborum quibus res proferendæ sunt.* — Utique nunc quoque Spiritus Sanctus homines inspirat. Neque tamen ideo Scriptura pro nobis indifferens esse potest. Imo est expositio fidei christianæ et tempore prima et perfectissima, utique si res præcipuas, non vero si res secundarias respicimus. Ergo Scriptura est norma omnium cæterarum expositionum eiusdem fidei. Præterea sane oportet nos conversari cum Christo, ut ipse in nos exserat vim efficiendi fidem. Iamvero, uti patet, *non possumus commercium* habere cum Christo, nisi mediante *Scriptura.* — Exponit doctrinam de Scriptura in: Der christliche Glaube [1] 1821-2 Pars II ubi de elementis essentialibus ecclesiæ agit, §§. 147 sq; in editionibus posterioribus § 128-132: Von der hl. Schrift. Ed. Halle in 8 p. 270-93.

171. — Richard Rothe, Zur Dogmatik [1]1863, [2]1869, sicut antea in articulis in Theol. Stud. u. Krit. 1860, omnem rationem auctoritatis Scripturæ ita explicat: Revelatio secundum partem suam obiectivam consistit in omni historica manifestatione Dei; secundum suam partem subiectivam in interna illustratione, qua mens humana capax fit ad recte intelligendum eiusmodi revelationem obiectivam. Iamvero si supponeres, revelationem non esse scriptam, certe non iam esset nota vel saltem non remansisset essentialiter incorrupta. Est ergo *auctoritas Scripturæ in eo, ut sit documentum religiosum, i. e. quod sensum religiosum respicit eumque excitat.* Hoc documentum utique *plenum est erroribus* historicis, imo *etiam religiosis. At hi inter se corrigunt* atque ita nobis vehiculum sunt ad cognoscendam revelationem uti vere erat. — Cæterum revelatio non in sola Scriptura vivit. — Concedit Rothe ne vocem quidem inspirationis retinendam esse. — **Ed. 1863 p. 68-80; 121-356.**

Hæc sententia est, quam communiter theologi « conservativi » tenent. Quidam adiungunt, apostolos hanc inspirationem vi muneris apostolici accepisse.

172. — E. **Haupt**, Die Bedeutung der hl. Schrift für den evangelischen Christen, Bielefelol u. Leipzig 1891, vult, experientias religiosas oriri, dum Scriptura legitur, at independenter a persuasione vera esse ea quæ ut historica in ea narrantur, v. g. resurrectionem Christi. Hæc efficientia Scripturæ est testimonium Spiritus Sancti de ea ut verbo Dei. Quomodo id? *Scriptura excitat experientiam religiosam, ergo fidem. Atqui Scriptura non posset excitare fidem nisi esset verbum Dei.* Tales motus excitat in multis locis. Imo cum totius Scripturæ finis sit manifestatio voluntatis salvificæ, tota dici debet auctoritas religiosa. Singulæ quidem partes etiam religiosæ erroneæ esse possunt: sunt vero auctoritas in tantum, in quantum nexum organicum cum evangelio habent.

173. — Hermann **Schultz**, in: Grundriss der Christlichen Offenbarung, Göttingen 1902 §. 6 et 8 p. 32-9, 35-8 hanc doctrinam tradit: « Revelatio... non potest cogitari nisi ut actio Dei, per quam in anima hominum provocat impressionem de se ut de eo ente, quod influxum exerceat in vitam eorum in mundo et eos potenter ducit supra mundum ad finem » (35). Intelligitur actio Dei naturalis (38). Habetur per facta sive in natura rerum, sive in historia populorum, sive in vita singulorum (37). Patet pro anima religiose disposita talem « manifestationem » Dei immediate etiam agere ut « *inspirationem* » *in sensu religioso* i. e. *animam impleri novo iudicio de Deo, mundo, hominibus* (36), religiosa certitudine, ergo illuminatione et enthusiasmo. Quod si homines ita scribunt, uti sunt inspirati, ipsa scripta eorum sunt inspirata, i. e. non sunt revelatio, sed proxime tantum documenta et monumenta revelationis eiusque historiæ (56). Sequitur, hæc scripta inspirata canonem esse tantum pro iudicio religioso. Cæterum ea plena sunt erroribus.

Reinhold **Seeberg**, Offenbarung u. Inspiration, Berlin 1908, 76 ita ultima pagina expositionem suam comprehendit: Revelatio Dei tum factis fit tum verbis; « .... ad nos pervenit per documentum scriptum, bibliam. Hæc nos docet, quomodo primi eius testes revelationem intellexerint. Quia vero hæc intelligentia revelationis in nobis evocat activitatem Spiritus Dei, necesse est ut hanc intelligentiam Scripturæ reducamus ad speciales effectus Spiritus Dei in revelatione agentis. Et *hæc vis creatrix revelationis, qua gignat hanc intelligentiam, atque hæc facultas ut hanc ipsam intelligentiam eo modo exprimamus, qui semper intelligi possit, hæc proprie est illud, quod vocamus inspirationem* ».

174. — At non deerant ex orthodoxis qui inspirationem defendere studerent, neque hodie desunt.

E. g. his temporibus in Hollandia H. **Bavinck**, Gereformeerde Dogmatiek I² Kampen 1906 Hoofdstuk II §. 13 p. 406-76 tractat: De Theopneustie der Schrift. Essentialiter rectam doctrinam eamque sat evolutam

cf. v. g. n. 113 p. 45-6. Adhibet etiam auctores catholicos, uti v. g. Pesch.

175. — Iam quædam elementa non recta aspergit C. Henrick **Scharling**, Offenbarung und hl. Schrift, liber germanice versus a Georg Johanns, Leipzig 1907, 231; p. 115-6 et 120 hæc de inspiratione docet: « Sub inspiratione Scripturæ intelleginus ergo, eam ortam esse sub speciali divina directione et gubernatione. Quæ se exhibet partim ut elevationem (inspirationem in sensu strictiore), per quam auctor inter scribendum elevatur ad visionem sublimiorem et per hanc adducitur ad intelligentiam fidei revelationis profundiorem atque ditiorem, partim ut directionem (gubernationem), secundum quam ea eligit, quæ ad rem pertinent electaque in recto ordine atque secundum internam connexionem exponit, dum omnia, quæ ad rem essentialiter non spectant, aut turbare possent, omittantur... Habetur *cooperatio Spiritus Dei et spiritus hominis, in qua initium (Initiative) a Spiritu Dei procedit, qui agit hortans, incitans atque inter scribendum gubernans et illuminans* ». Remanere utique hominis libertatem, individualitatem auctoris qua talis. Accedere relationem immediatam vel mediatam, qua auctor fuerit testis ocularis vel auricularis revelationis divinæ. Addit tamen: « Sequitur, inspirationem non posse cogitari ut absolutam, quæ se porrigat ad omnes et singulas sententias atque ad omnia et singula verba, sed eam debere considerari ut essentialem, quæ se porrigat ad magna atque quasi dirigentia capita principalia, quæ tamen in rebus singulis campum relinquat libertati humanæ, ita ut *in his rebus singulis uti supra demonstratum est, errores atque haud recte dicta apparere possint*, quin tamen hac ratione nuntius qua integer damnum patiatur aut in ipsa essentia sua vitietur »,

GALLIA.

176. — Generalis indoles evolutionis. — Iam sæculo 18 inter Calvinistas antiquus rigor doctrinæ sensim mitigabatur. Præcipue vero, ut diximus, crescebant doctrinæ liberiores influxu Rationalistarum Germanorum. Qui ex parte philosophica præcipue repetendus est a Kant; e parte exegetica præcipue, ut videtur, a Strauss. Hodie regnat plena dogmatis inspirationis negatio. Multum influxum recentius exercuit rationalistica philosophia religionis Sabatier et Fideismus Ménégoz.

177. — *Rationalismus.* — Initio sæculi 19 Isaïe Gasc, professor theologiæ in Montaubon, Cours inédit de théologie dogmatique 1811, *omnem influxum præternaturalem a sacris auctoribus removebat, si res sibi iam notas scribebant.*

E rebus vero iam notis componi totum Vetus Testamentum, multa scripta apostolica, omnia ad salutem indifferentia. Cui doctrinæ largæ plurimi adhærebant.

178. — *Réveil.* — Circa medium sæculum 19 liberior eiusmodi cogitanti ratio apud aliquos iterum in maiorem rigorem mutata est (Réveil). In qua mutatione perficienda dux ext L. Gaussen, Théopneustie ou pleine inspiration des Ecritures, Paris 1840. Docet, inspirationem esse « *impulsionem ad loquendum et scribendum et suggestionem idearum et verborum* ». Ulteriora de eius essentia explicari non posse.

179. — *Latitudinarismus* tamen mox iterum successit. Præ cæteris animos commovit Edm. Scherer, La Critique et la foi 1850, in quo libello Novum Testamentum habet tantum ut *documentum historicum quod doctrinam Christi continet.* — Contra Scherer egit quidem M. de Gasparin, tum opere La Bible, tum alio Les Ecoles de doute et les Ecoles de la foi 1850, quin tamen maiorem partem doctorum a sententiis largioribus revocaret.

180. — *Mediam viam* inter doctrinam Calvinistarum antiquam et Rationalismum recentem tenere studebat alia factio. Cuius caput erat E. de Pressensé, De l'Inspiration des Saintes Ecritures 1862. Affirmat apostolorum *inspirationem personalem, qua imbuti modo quodam speciali in primitiva ecclesia testimonium de Christo reddiderint.* Iamvero doctrinam primitivæ ecclesiæ admittere nos debere.

181. — *Extrema ala sinistra* Christianismum plane adogmaticum proponit, eumque diversis sub formis.

Edmond Rabaud, Histoire de la doctrine de l'inspiration, Paris 1883 p. 344-5 hæc ad finem libri ut propriam sententiam refert: « Si la Bible ne peut et ne doit plus décidément être tenue pour l'exemplaire authentique d'une inspiration spécifique de Dieu, si elle perd cette illusoire autorité, qui ne se légitime ni devant la conscience, ni devant la raison, elle acquiert en revanche une autorité réelle, solide, indiscutable. Nul ne lui peut contester l'autorité spirituelle qui découle d'une haute inspiration religieuse. — Dès lors, elle restera comme l'*expression la plus divine de la conscience humaine en communion avec Dieu.* D'un commerce intime avec elle se dégage une vertu, qui fera toujours de la Bible la nourriture des forts, l'espérance des faibles, l'appui des consciences délicates, le trésor des cœurs purs, le conseil et la source vivifiante, auxquels la conscience des générations successives ira toujours demander la force, le relèvement et la vie, dans la contemplation intérieure du saint et du vrai ».

182. — August Sabatier quem primum inter scriptores de philosophia religionis habent, Esquisse d'une philosophie de la religion, Paris 1897 l. 1 ch. 3, V p. 95-103 agit de inspiratione. P. 99-100 hæc tradit: « *L'inspiration religieuse n'est pas psychologiquement différente de l'inspiration poétique.* Elle offre, sans doute, le même mystère, mais n'implique pas plus le miracle. Elle ne se produit pas comme un trouble apporté violemment du dehors dans la vie psychique, mais comme une force réellement fécondante, agissant du dedans, en harmonie avec toutes les forces et toutes les lois de l'esprit ». Iamvero quæ est huius inspirationis intima essentia? « La racine intérieure de cette inspiration ne se trouve pas ail-

leurs que dans la piété commune à tous les hommes religieux. Elle n'en diffère point par nature, mais seulement par l'intensité et l'énergie. *L'inspiration prophétique, c'est la piété élevée à la seconde puissance* ».

183. — Idem omnino, præmissis pluribus difficultatibus contra inspirationem, profert **Jean Réville**, Le Protestantisme libéral p. 26. Adiungit p. 27 : « Si pour le protestantisme libéral l'ensemble des productions littéraires que nous appelons la Bible, ne possède aucun caractère surnaturel et ne procède d'aucune inspiration magique à exclusion de toutes les autres productions littéraires, *cette bible toute humaine*, et justement parce qu'elle est vraiment et profondément humaine, *reste un monument admirable et précieux entre tous parce qu'elle renferme le dépôt des expériences religieuses les plus belles et les plus saintes* que l'humanité nous ait léguées, celles des prophètes d'Israël et surtout du plus grand de tous, Jésus le Christ. Voilà ce qui fait à nos yeux la valeur de la Bible ».

Fideista Eugène **Ménégoz**, Publications diverses sur le Fideisme 1909 II p. 471, hanc ut maximam Scripturæ dignitatem celebrat: « *Elle a retenu*, pour l'éducation des générations à venir, *la floraison la plus précieuse de la foi dans l'histoire de l'humanité*. Elle est le document par excellence de la vie de Dieu dans l'âme des hommes. Nous pourrions l'appeler le réservoir de la vie divine dans le monde ». Quid autem est fides? « La foi est la vie de l'âme dans ses rapports avec Dieu ». Fidem dogmaticam in Deum loquentem in genere excludit. « De même que l'aimant attire les paillettes de fer, de même la foi attire les éléments religieux de la Bible. Ce sont là des faits d'expérience physique, pour l'aimant et le fer; d'expérience psychologique, pour la foi religieuse et la Bible ». Cætera ex bibliis secure omitti posse; fidem nostram hæc elementa per experientiam esse distincturam.

184. — Albert **Houtin**, La Question biblique au XX^e^ siècle, Paris 1906 v. 2 p. 31-42 affert « les principales objections qui se posent au commencement du XX^e^ siècle contre l'inspiration. Elles ne sont point nouvelles, mais les progrès des sciences historiques les ont rendues plus fortes, plus précises, plus pressantes ». At ita fere miseræ sunt, ut hoc iudicium Houtin approbandum non videatur.

185. — Alfred **Loisy**, Simples Réflexions sur le Décret du Saint-Office « Lamentabili sane exitu » et sur l'Encyclique « Pascendi Dominici Gregis », Chez l'Auteur 1908 p. 42 crisi subicit propositionem nonam Decreti « Lamentabili ». De inspiratione hanc sententiam profert: « *Dieu est auteur de la Bible comme il est architecte de Saint-Pierre de Rome*, et de Notre-Dame de Paris. S'imaginer que Dieu a écrit un livre est commettre assurément le plus enfantin des anthropomorphismes; mais, si naïve qu'elle soit en elle-même, l'équivoque est formidable dans ses conséquences » Has consequentias consistere in impedimento ad indagandam veritatem largiorem.

Est ergo generatim pro hac hominum classi Scriptura quantum ad id quod continet collectio experientiarum humanarum religiosarum, inter quas

tamen fides vere dogmatica connotans locutionem veram Dei non comprehendatur; quantum ad originem vero est fœtus enthusiasmi cuiusdam naturalis.

ANGLIA.

186. — Generalis indoles evolutionis. — Doctrinæ falsæ, quæ in Germania amplius evolutæ erant, sensim etiam inter Anglos multo plures commovebant quam antea. Solum iam præparatum inveniebant tum Deismi largo influxu, tum generatim philosophiæ et theologiæ recentioris germinibus susceptis (Cf. VAN LAAK, De theologia generatim, in parte historica). Unde eæ *falsæ doctrinæ de inspiratione*, quæ usque ad medium fere sæculum 19 a maiore parte habebantur hæreses ab Anglicana ecclesia longe arcendæ, fere a medio sæculo 19 plurimis plaudentibus atque *ipsa ecclesia Anglicana saltem non impediente* sparguntur, admittuntur atque excoluntur.

Sententiæ liberiores.

187. — Samuel Taylor Coleridge † 1834, haud parum contulit ad liberaliores ideas promovendas. Cf. v. g. F. W. MACRAN, English Apologetic Theology 1905 Lecture 4: The influence of Coleridge upon Modern theology p. 97-128. In libro: Confessions of an inquiring spirit and some miscellaneous pieces, London 1840, in parte: Letters concerning the inspiration on Scripture, plurimis argumentis inspirationem Scripturæ aggreditur. *His scriptis, etsi non his solis, contineri utique religionem christianam.*

188. — I. D. Morell in: The philosophy of Religion, London 1849 in inspiratione proponenda fere sequitur doctrinam Schleiermacher. Cf. de eo Lee o. c. n. 196. Ita p. 761 de inspiratione Pentateuchi hoc docet: « Unicum quod volumus dicere, est hoc, inspirationem quæ hic intercedit, non habere originem ab aliqua externa commissione ut scribatur hic particularis liber, sed tantum a divino lumine, quod concessum erat auctoris menti et ætati quo dono ei relictum erat ut uteretur secundum quod aut necessitas aut decentia suggerebat ». De libris a Iosue usque ad libros Chronicorum: « Nihil aliud dicere possumus, quam eos universaliter a populo Iudaico receptos fuisse, et ut libros veraces et ut continentes sentimenta recta religiosa ».

189. — Maior procella exorta est 1860. Eo anno editum est opus: Essays and Reviews, in cuius secundo Essay p. 340 sq. Beniamin Iowett, describens indagationes biblicas Germani Bunsen, *inspirationem saltem quarundam partium Scripturæ negavit.* De ipsa natura vero inspirationis hæc proponit p. 345: « Neque pro ulla ex his superioribus vel supernaturalibus ideis de inspiratione ullum habetur fundamentum in evangeliis aut in epistulis. *Non apparet* in his scriptis, evangelistas vel apo-

stolos habuisse *ullum donum internum*, aut fuisse subiectos ulli potentiæ iis externæ, quæ *differret a dono prædicandi vel docendi, quod cotidie exercebant;* neque ullo modo nos inducunt ut supponamus eos fuisse *liberos ab errore* aut infirmitate ». Quamobrem cum a multis reprehenderetur atque tandem coram iudice accusaretur, damnatus ille quidem est a Court of Arches 15 Dec. 1862, at absolutus a Privy Council 1863. Cf. Cases heard and determined by the iudicial Committee of the Privy Council II p. 3 New Series 375-434.

190. — In libro: Inspiration, A Clerical Symposium cit. n. 115 p. 60 præter episcopum aliquem catholicum sententias suas de natura inspirationis exponunt diversæ denominationis viri uti Anglicanus, Presbyterianus, Congregationista, Unitarianus, Swedenborgianus, Wesleyanus, Judæus. Generatim liberaliora eaque sat indeterminata sequuntur. Cf. quomodo Farrar p. 202-12 sententias eorum brevius comprehendat.

191. — Statum animorum etiam fortius ad liberiora inclinatum manifestavit disputatio vehementior exorta, quando Carolus Gore publici iuris fecit: Lux mundi, A Series of Studies in the Religion of the Incarnation [1] 1889 [2] 1904. Cuius commentationem octavam: The Holy Spirit and Inspiration, ipse Gore conscripsit. Eius commentationis pars a p. 249-66 de inspiratione est. Affirmat *inspirationem v. g. apostolorum* esse « *donum quod apte reddit homines omnium temporum considerare horum doctrinam ut talem, quæ repræsentet vere, non autem modo essentialiter difformi, Christi doctrinam atque ipsum Christum* (p. 255) ». Eam excludere utique in apostolis « consciam deceptionem vel piam fraudem », non vero quandam *idealisationem* obiective *erroneam* (p. 259). — Quem auctorem multi impugnabant, at plures approbabant.

192. — William Sanday, Inspiration [1] 1893 [5] 1903, 477 præcipue Lecture VIII p. 391-431 animos divisos inter se conciliare studuit. Concedit ille quidem, inspirationem esse « actionem directam, obiectivam divini in humanum » (p. 399), at tam diversos eius gradus statuit, ut eam plurimum attenuet. Dicit v. g. in libris historicis inspirationem tantum ibi inveniri, « ubi auctor moralia proponat, imo eum ne hæc moralia quidem sub speciali afflatu scribere, sed tantum *cum adiutorio per quod reflectat de principiis actionum divinarum, quæ ei vel aliis sui ordinis viris communicata fuerint* » (401). Errores quosdam non excludi (400).

193. — A. Stewart in art. Bible B. II. Inspiration in: A Dictionary of the Bible v. I [1] 1898 [8] 1906 p. 296-9, quæ Encyclopædia magis « conservativas » doctrinas proponere intendit, videtur sufficientem habere hanc inspirationem: Deus inspiravit bibliam, « fecit illam id quod est, — *vehiculum cogitationis sublimissimæ* spiritualis, supremam ducem in rebus moralibus, quam homines unquam cognorunt ». — Approbat doctrinam Denney, Studies in Theology Lect. IX, cui inspiratio est: « Potestas Scripturæ, ut animis nostris infundat religionem christianam eiusque doctrinas non tantum ut generice, sed ut divine veras ». Laudat verba Fairbairn, Christ in Modern Theology 496 sq., qui considerat ut « essentialem functionem inspirationis id, ut formet personas — tum mentes

pro cogitatione, tum cogitationem pro mentibus — per quas religio realizanda sit ».

194. — R. J. Campbell, The New Theology, London 1907, *Scripturam* tantum habet ut *expressionem experientiæ religiosæ*, quam scriptores habebant (p. 184). De inerrantia ne quæri quidem posse, quippe cum ii scriptores homines fuerint (p. 185).

195. — George Lansing Raymond, The Psychology of Inspiration, New York 1908, 340 ita doctrinam suam breviter comprehendit p. 370 : « Ostensum est hoc : Quando homo inspiratus est, conditiones quæ de facto adsunt id necessario secum ferunt, ut quidquid revelatum [i. e. naturali quadam sagacitate Deo dante inventum] est, afficiat primo internum seu subconscium regnum animi eius ; quidquid receptum est in eam regionem internam seu subconsciam, tum in eam ipsam influit tum in externam seu conscium regnum idque mediante suggestione ; quidquid influit per modum suggestionis, hoc vi propriæ suæ naturæ debet liberum et expeditum relinquere externum seu conscium regnum ut illud se ipsum exprimat secundum methodos, quæ determinatæ sunt per eius propriam intelligentiam, sive hæreditate accepta illa sit sive acquisita ». Sequi, particulares res inspiratas posse esse ex mente singulorum hominum ideoque etiam falsas.

Sententiæ aliæ.

196. — At neque deerant opera, quæ inspirationem Scripturæ defenderent. E quibus inter plura hæc nomino :

197. — E. Henderson, Divine Inspiration, London 1836, 574. Essentiam inspirationis tractat præcipue Lecture 7 et 8 p. 337-449. Eam esse actionem supernaturalem, non omnibus datam, quæ consistat in excitatione, elevatione, « superintendentia », quin per se requiratur revelatio hagiographis facta. Breviter comprehendit rem p. 374. Multis reicit inspirationem verbalem (p. 388-448).

William Lee, The inspiration of Holy Scripture, London [1]1854 [2]1857, 604 doctum opus composuit C. 1 p. 1-36 statum quæstionis exponit, in quo, distinctione inter revelationem et inspirationem præmissa, præcipue p. 31-33 sententiam suam de essentia inspirationis exponit. Eam essentialiter differre ab ordinaria inspiratione Spiritus Sancti in ordine gratiæ (Cf. etiam p. 233). Spiritum Sanctum *impellere ut scribatur*, *eligere quid sit scribendum*, *assistere ut recte scribatur*. Quantum ad *linguam* hoc habet p. 32 : Reiciendam esse « opinionem, solam rem Scripturæ a Spiritu Sancto procedere, dum lingua commissa sit variorum scriptorum electioni non adiutæ » scilicet per auxilium Spiritus Sancti. Spiritum amplecti « integram activitatem » inspiratorum, eo quod « eorum sermonem reddat verba Dei » (33). Totam substantiam et formam Scripturæ... « esse ita mixtas ut unum quid harmonicum efficiant ».

Iohn Iames Given, The Truth of Scripture, Edinburg 1881, Pars II p. 104-203, cuius titulus est: Inspiration, præcipue c. 6 p. 104-37 de inspirationis conceptu agit. Scripturam esse inspiratam cum omnibus sententiis suis. Verborum inspirationem quod attinet, inspiratam esse « ipsam Scripturam vel scriptum, et hoc scriptum e verbis consistere ».

IUDÆI.

198. — Lit. *Ex operibus generalioribus* Dausch p. 104-7. — Pesch n. 10-33 p. 13-38.

Speciatim *pro ætate fere Christi vel proxime sequente:* E. Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christ [4]II Leipzig 1907, p. 363-72. — Wilhelm Bousset, Die Religion des Iudentums im neutestamentlichen Zeitalter [2]1906, 172-3. — Quoad Philonem: Paul Heinisch, Der Einfluss Philos auf die älteste Christliche Exegese, Münster 1908 §. 5 p. 42-52. — *Pro tempore etiam posteriore:* Ferdin. Weber, Iüdische Theologie auf Grund des Talmud u. Verwandter Schriften [2]1897, 80-8. — Oesterley and Box, The Religion and Worship of the Synagogue 1907 ch. 7 p. 135-43. — Quoad Mosen ben Maimon cf. etiam Bacher-Brann-Simonsen-Guttmann: Moses ben Maimon, Sein Leben, seine Werke u. sein Einfluss I Leipzig 1908, 495 c. II Charakteristik u. Inhaltsangabe des Moreh Nebuchim, præcipue p. 35-9.

199. — **Inspiratio vel exaggerata ab Hellenistis et Talmudicis affirmabatur.** — **Hellenistæ** non paucas quidem doctrinas religionis revelatæ extenuarunt. *Doctrinam* tamen *de inspiratione sacrarum Scripturarum non tantum retinuerunt* quod ipsum caput doctrinæ attinet, eo quod scilicet docebant eas esse scriptas a prophetis cum dono prophetiæ scribentibus, *verum etiam* quidam ex eorum auctoribus eius intimam rationem saltem aliquando *exaggerarunt*, eo quod activitatem propriam humani auctoris ob hanc eius dignitatem propheticam nimium restringebant.

200. — **Libri talmudici** orti prioribus sæculis post Christum et *avitam fidem* de origine divinarum Scripturarum firmiter retinent et quædam explicationis gratia *adiungunt,* quæ potius *phantastica* dices quam speculationis quædam testimonia, v. g. ipsas singulas litteras, tonos etc. utpote a Deo ortos specialem habere sensum; Deum proprie in aures dictasse Scripturas sacras; eas iam voluminibus distinctas Moysi dedisse etc.

201. — Excolitur ratio inspirationis. — Systematice dogmaticam Iudæorum cæteris perfectius exposuit **Moses ben Maimon** (Maimonides) 1135-1204 in opere: More Nebuchim = Dux perplexorum, quod habet

partes tres. Doctrinam de prophetia evolvit in parte 2 c. 32 sq. Prophetia dividitur in improprie talem et proprie talem. *Natura prophetiæ proprie talis sita est in eo, quod specialis influxus divinus ab intellectu agente in intellectum possibilem et imaginativum descendit.* Quæ prophetia proprie talis novem habet gradus, inter quos tamen prophetia Mosis, utpote altior quam quæ capi possit, non continetur. Non tamen Moses vidit essentiam Dei. E quibus novem gradibus quinque inferiores sunt in acceptatione cognitionis per somnium, quatuor altiores in acceptatione per visionem. Hagiographi quidem mox hunc mox illum et ex his gradibus nacti sunt.

Inspiratio ad scribendum est altior inter duos gradus prophetiæ improprie dictæ. « Secundus gradus est, quando quis sibi videtur *penetrari re aliqua et indui nova facultate, quæ movet eum ad loquendum*, ut proferat præcepta sapientiæ aut laudem [Dei] aut monita salutaria aut sermones spectantes ad regimen politicum aut ad metaphysicam, et id quidem in statu vigiliæ, quando sensus usitatas suas functiones habent. Talis homo dicitur loqui per Spiritum Sanctum. Per hunc Spiritum Sanctum David composuit Psalmos et Salomon Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Item per eundem Spiritum Sanctum compositi sunt libri Danielis, Iob, Chronicorum, alia Hagiographa ». — Inferior gradus prophetiæ improprie dictæ habetur, si quis tali modo divinitus movetur non ad loquendum sed ad agendum.

202. — Baruch **Spinoza** 1632-77, *plane rationalistica proponit* in famoso opere: Tractatus theologico-politicus Hamburgi [1]1670. Cito ed. Opera omnia v. 3, Tauchnitz, Lipsiæ 1846, v. tertium, in qua editione ad Tract. theol.-pol. posteriores notæ ipsius Spinozæ adiectæ sunt.

Quid significat, prophetas spiritu Dei repletos fuisse? Respondet n. 42-4 p. 30-1: Nihil aliud « quam quod prophetæ *virtutem singularem et supra communem habebant*, quodque pietatem eximia animi constantia colebant; deinde quod *Dei mentem sive sententiam percipiebant* ».

Quid est autem illud « præter communem modum »? Explicat hoc in nota postea adiuncta: « Quamvis quidam homines quædam habent, quæ natura aliis non impertit, *non tamen naturam humanam excedere dicuntur*, nisi ea, quæ singulariter habent, talia, ut sint ex definitione humanæ naturæ percipi nequeant (Gall. à moins que les dons, dont ils sont extraordinairement pourvus, ne passent les bornes et les limites de la nature humaine). Ex. gr. gigantis magnitudo rara est, tamen humana ». Eiusmodi fuisse donum prophetarum.

Quid porro illud est « mentem Dei percipiebant »? « Ostendimus... spiritum Hebraice significare tam mentem, quam mentis sententiam, et hac de causa ipsam legem, quia Dei mentem explicabat, spiritum sive mentem Dei vocari; quare æquali iure imaginatio prophetarum, quatenus per eam Dei decreta revelabantur, mens Dei etiam vocari poterat, prophetæque mentem Dei habuisse dici poterant. Et quamvis menti etiam nostræ mens Dei eiusque æternæ sententiæ inscriptæ sint, et consequenter mentem etiam Dei (ut cum Scriptura loquar) percipiamus; tamen quia

cognitio naturalis omnibus communis est, non tanti ab hominibus ut iam diximus, æstimatur; et præcipue ab Hebræis, qui se supra omnes esse iactabant, imo qui omnes, et consequenter scientiam omnibus communem, contemnere solebant. Denique *prophetæ Dei Spiritum habere dicebantur, quia homines causas propheticæ cognitionis ignorabant, eandemque admirabantur, et propterea, ut reliqua portenta, ipsam ad Deum referre Deique cognitionem vocare solebant.* Possumus iam igitur sine scrupulo affirmare, prophetas non nisi *ope imaginationis* Dei revelata percepisse, hoc est, mediantibus verbis vel imaginibus iisque veris aut imaginariis. Nam quum nulla alia media in Scriptura præter hæc reperiamus, nulla etiam alia, ut iam ostendimus, nobis fingere licet. *Quibus autem naturæ legibus id factum fuerit, fateor me ignorare* ».

Cur vero Deus vocatur auctor Scripturæ? Hoc docet c. 12 n. 22-3 p. 179: « Tribus itaque his de causis Scriptura verbum Dei appellatur: nempe *quia veram docet religionem*, cuius Deus æternus est auctor; deinde quia prædictiones rerum futurarum *tanquam Dei decreta narrat;* et denique quia ii, qui revera fuerunt eius auctores, ut plurimum *non ex communi naturali lumine*, sed quodam sibi peculiari *docuerunt et Deum* eadem *loquentem introduxerunt.* Et quamvis præter hæc plura in Scriptura contineantur, quæ mere historica sunt et ex lumini naturali percepta, nomen tamen a potiore sumitur. Atque hinc facile percipimus, qua ratione Deus auctor Bibliorum sit intelligendus, nempe propter veram religionem, quæ in iis docetur; at *non quod voluerit certum numerum librorum hominibus communicare* ».

Qui Pantheista immensum influxum in posteriores Rationalistas exercuit. — A Judæis autem ob « horrendas hæreses » a synagoga exclusus est.

203. — **Sententiæ rationalisticæ recentiorum Judæorum.** — Quid sentiant multi Judæi recentiores v. v. g. in art. Kaufmann Kohler, Inspiration in **The Jewish Encyclopædia** VI 1905 607-9, 608. Affirmatur quidem, Scripturam loqui « divina auctoritate, qualem nullus alius liber vel literatura possidet ». Eius tamen auctoritatis ratio atque differentia ab inspiratione aliorum operum tantum ita exhibetur: « *Enthusiasmus religiosus totum ingenium penetrat* et veritas in ea (Scriptura) prolata, quæcumque tandem ea forma est, qua vestitur, non minus nunc homines commovet quam eos commovebat olim, quando primum annuntiabatur a propheta, psalmista, legislatore, qui ipsi virtute divini Spiritus agebantur ». Pro ulteriore explicatione remittit ad modernam theologiam.

204. — Ulteriorem systematico-theologicam explicationem tradit idem **Kaufmann Kohler**, Grundriss einer systematischen Theologie des Judentums auf geschichtlicher Grundlage (Grundriss der Gesammtwissenschaft des Judentums Bd. 4) Leipzig 1910. In parte 1 c. 6 p. 28-33 agit de revelatione, prophetia, inspiratione. — *Revelatio* secundum eum *est influxus Dei* in spiritum humanum, *talis qualis est* « *in omnibus campis activitatis humanæ fulguratio ingenii* ». « In... statu infantili generis humani in quo vita sentimenti cum vi phantasiæ prævalet, divinum illud

se repræsentat ut phænomenon quod sensibiliter percipi possit » (28). *Prophetiæ donum est dispositio pro revelatione* (30).

Prophetæ atque viri Dei inter Israelitas a similibus hominibus cæterorum populorum distinguuntur eo quod « modo singulariter profundo naturam moralem Dei penetrabant » (31).

Quodsi ergo, ob sanctitatem persequendam, homo specialius voluntatem Dei scrutabatur, vehemens phantasiæ vis sensim recedebat. Succedebat proinde revelationi *inspiratio, per quam idea (veritatis, nova ratione conceptæ) ei quem Deus elegerit se manifestat.* Utique etiam hic status, in quo homini excitato divina inspiratio conceditur, status commotionis est. At elementum supranaturale semper magis evanescit, et sermo transit in eum, qui sobriæ sui conscientiæ proprius est, in quo non iam ipse Deus est qui loquitur, sed in quo de eo ut de tertia persona loquantur... Gradum multo inferiorem inspirationis divinæ nobis offerunt ea scripta, in quibus elementum commotionis modo vix perceptibili se manifestat et se prodit sola conscientia collectiva populi, qui participationem quandam Spiritus Sancti sibi vindicat. *Ea quæ populus integer ut sancta receperat, sensim considerantur ut profluentia e spiritu sanctitatis,* sicuti generatim ii qui institutiones synagogæ fundaverant atque sacras scripturas collegerant, recipiebantur ut viri qui Spiritu Sancto repleti erant ».

PARS II SPECIALIS

DEMONSTRATUR

SACRAE SCRIPTURAE OMNIUMQUE EIUS SENTENTIARUM

INSPIRATIO ATQUE INERRANTIA

PRAENOTANDA

ad partem secundam tractatus.

205. — Obiectum huius partis. — Ordo tractationis. — Hac secunda parte *factum inspirationis Scripturae eiusque inerrantiam* probabimus. Atque priori quidem capite inspirationem Scripturae, altero eius inerrantiam demonstrabimus.

Articulo vero primo capitis primi probabimus *inspirationem Scripturae in genere;* secundo inspirationem *omnium et singularum sententiarum.*

206. — Cur nonnisi tertia parte tractatus explicationem intimae essentiae inspirationis aggressuri simus. — Primo non alia est ratio cur theologus de aliqua re speculationem instituat, nisi quia *e revelatione probavit eam ad ordinem praesentis oeconomiae pertinere.* — Deinde *inspiratio et inerrantia omnium partium libere discuti non iam potest*, dum multa, quae de intima essentia inspirationis quaeruntur, salvis principiis catholicis diverso modo solvi possint. — Tertio *omnium sententiarum inspiratio atque inerrantia,* utpote res, quae valorem fontis fidei determinat, *supponenda est ante dogmaticam specialem;* id quod de profundiore speculatione circa intimam essentiam inspirationis affirmari nequit. — Quarto, *inerrantia omnium locorum Scripturae* ex una parte, ut vidimus, est sane res maximi momenti. Ex alia parte ea iam ex ipso facto inspirationis omnium sententiarum Scripturae, *non consideratis sententiis liberis de intima inspirationis natura, sequitur.* Praeterea etiam *in se ipsa clarissime in Traditione* continetur. Unde iuverit eam mox post factum inspirationis probatum demonstrare.

Simili modo dogmatici v. g. in tractatu de incarnatione Verbi prius demonstrare solent factum incarnationis. Hoc facto demonstrato intimam eius naturam perscrutantur, num v. g. haec coniunctio inter personam divinam et naturam humanam facta sit per communionem eiusdem Esse existentiae an alio quodam modo.

207. — Notanda quaedam de fontibus argumentationis. — Fontes sunt primo traditio, quae praecipue tum Patrum atque theo-

logorum testimoniis tum decisionibus auctoritatis ecclesiasticae continetur; deinde ipsa S. Scriptura, praecipue in quantum revelationem continet. Cf. n. 61-82 p. 34-44. Traditio clarior atque amplior est; unde generatim prius a nobis proponitur quam Scriptura.

208. — Cur haud pauca testimonia e theologis allaturi simus. — Si dogmatice rem consideramus, *eadem est vis testimoniorum, quae a consensu theologorum proficiscuntur atque eorum, quae a consensu Patrum procedunt.* Horum tantum apologetice maior est auctoritas quam illorum, praecipue quoad eos haereticos, qui assumunt doctrinam christianam primis temporibus nondum fuisse corruptam. Iamvero tractatus noster dogmaticus est, non polemicus. Porro praecipue eos adversarios respicit, qui recentius inter ipsos catholicos exorti, eodem modo de Patrum, eodem de theologorum auctoritate sentiendum esse sciunt. Tandem haud parvum est momentum in ipsa illa ininterrupta serie inde a primo saeculo usque ad vigesimum; in qua serie si quid mutationis habetur, id solum in eo est, ut doctrina, eadem manens, clarius fuerit expressa atque magis scientifice exculta.

209. — De numero et qualitate testimoniorum, quae e Patribus (scriptoribus ecclesiasticis), atque theologis afferemus. — Non id nobis propositum est, ut quam plurimorum et quamplurima testimonia afferamus, sed ea et numero et momento, quæ ad cognoscendam traditionem catholicam plane sufficiant. De conditionibus legitimi argumenti patristici cf. theologi dogmatici, v. g. egregie et breviter Lud. Desan S. I., Tractatus de divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903, Thesis 2 p. 158-66.

Data opera id curabimus, ut ostendamus, eos quoque in doctrina de sacris Scripturis a nobis demonstranda inter se consensisse, qui in rebus non paucis philosophiam, theologiam, exegesim spectantibus diversas sequebantur scholas. Quodsi enim, eiusmodi diversis sententiis non obstantibus, eandem doctrinam proponunt, traditio catholica eo clarius manifestatur.

Ex aetate Patrum solemus afferre unum vel alium e Patribus apostolicis, ex apologetis saeculi secundi, e caeteris defensoribus religionis catholicae antenicaenis, e scholis exegeticis tum Alexandrina tum Antiochena. E saeculo quarto et quinto praecipue considerandus est ob eminentem doctrinam exegeticam S. Hieronymus, ob profunditatem in re dogmatica S. Augustinus.

E theologis considerabimus e medio aevo tum Ecclesiae doctores S. Thomam et S. Bonaventuram, tum scholas ex ordine S. Francisci vel S. Dominici. Addemus summos quosdam aliarum scholarum theologos. Simili modo quoad aetatem Neo-Scholasticae procedemus. — Qui alios Patres atque theologos consulere vel de citatis uberiorem cognitionem haurire voluerit, literaturam consulat quam tractationi hinc inde adiungemus.

210. — Qua ratione testimonia Patrum atque theologorum hac thesi afferenda universos libros sacros attingant. — Attingunt eos diverso modo. Ac primo quidem multis testimoniis Patrum dicitur, Scripturam inspiratam esse. Iamvero in historia canonis probatur, Patres vocare *Scripturam*, *Scripturam sanctam* etc., *eos libros, quos nunc in canone habemus.* — Deinde Patres saepissime in textibus quos citabimus, immediate quidem nonnisi huic vel illi libro, huic vel illi libri parti, imo his vel illis versibus rationem inspirationis applicant. At aliunde scitur, eos *omnibus in genere textibus illorum librorum*, quos Scripturam dicunt, *eandem* attribuere *dignitatem.* Abstrahimus hic a quibusdam difficultatibus in applicando hoc principio non tantum in genere ad Scripturam universam, sed ad omnes et singulas sententias, nulla plane excepta.

CAPUT I.

PROBATUR FACTUM INSPIRATIONIS SCRIPTURAE

ART. 1. — Demonstratur inspiratio Scripturae generatim sumptae.

Assertum. Libri Sacri, cum Spiritu Sancto inspirante conscripti sint, Deum habent auctorem.

211. Nota theologica asserti. — De fide divina catholica definita est, tum libros sacros habere Deum auctorem, tum eos Spiritu Sancto inspirante esse conscriptos. Concil. Vat. cf. n. 105 p. 53.

Auctor libri. — Quae ad rationem auctoris non sufficiant. — Auctor libri est *is qui signis scriptis, quae librum constituunt, mentem suam aliis manifestat* (cf. n. 42-4 p. 26-7). — Cum verum eo quod falsum ei opponitur clarius appareat, iuverit modos quosdam addere, quibus Deus ad aliquem librum vel ad ea, quae in eo dicuntur referri potest, qui tamen modi a ratione veri auctoris deficiunt. Qui utique postea magis data opera a nobis considerabuntur, cum theorias huic assertioni oppositas refutabimus. Praecipui hi sunt.

1) Deus nihil agit circa ipsum librum conscribendum, sed aliquem *librum qui humanitus iam conscriptus est,* ut vera et sancta in omnibus continentem *confirmat*, sive id immediate per se ipsum testatur, sive per auctoritatem, quam ipse infallibilem reddiderit. Quo in casu non ipse liber scriptus Deum habet auctorem, sed tantum confirmatio libri scripti sive directe sive indirecte ad Deum ut auctorem reducenda est.

2) Deus nihil agit circa ipsum librum conscribendum, sed vel *revelat vel speciali providentia suppeditat eam materiam*, quam homo, proprio Marte, non vero ut causa instrumentalis scribentis Dei, scriptis consignat. Quod si fit, cognitio materiae in libro descriptae ad Deum ut causam reducenda est, non vero ipse liber conscriptus.

3) Deus utique aliquid agit circa ipsum librum conscribendum, at influxus eius non est tantus, ut hominem causam instrumentalem libri conscribendi constituat, sed a perfectione huius

influxus uno vel alio modo deficit. Unde liber sub tali influxu conscriptus non habet Deum verum auctorem, sed forte eum, qui errores libri providentia sua cavit vel similia praestitit.

212. — Quibus modis fontes theologici doctrinam de inspiratione tradant. — Fontes theologici non semper eodem modo factum inspirationis exhibent. Saepe *directe* id unum affirmant, *Deum* esse *auctorem* Scripturae; quod cum dicunt, *indirecte* exhibent, eum esse auctorem *per modum inspirantis*, cum aliis locis doceant, homines in istis libris scribendis instrumenta Dei fuisse. — Saepe *directe* id unum docent, Deum Scripturas *inspirare*, quin eo loco directe tradant, inspirationem tam stricte dictam intelligi, ut inspirans per eam auctor libri evadat (De diversis significationibus inspirandi cf. n. 45-52 p. 27-30). — *Saepe utrumque simul* in eodem textu tradunt, Deum scilicet esse auctorem libri idque mediante influxu in hominem.

Quam doctrinam iterum diversis modis exhibent. *Aliquando imaginibus utuntur,* id quod praecipue a veteribus fit, *aliquando non.* Si imaginibus utuntur, patet in eiusmodi imaginibus explicandis id solum esse considerandum, quod ii qui tales imagines adhibent, ut tertium comparationis premunt, rationem scilicet perfecti instrumenti in homine relate ad Deum qui per hominem scribit, non vero alia, uti ideam instrumenti qua mortui, si v. g. hominem cum syringa comparant, Deum vero cum pastore qui syringa canit. — Si sine imaginibus loquuntur, aliquando Deum ponunt in recto, hominem in obliquo, v. g. Deum loqui per hominem, aliquando hominem in recto et Deum in obliquo, v. g. hominem loqui in Spiritu.

213. — Quam stricto sensu fontes eam veritatem pronuntient, Deum esse auctorem Scripturae, vel eam inspirasse, etiam ex eo patere potest, quod in genere ex eius origine divina huiusmodi *perfectiones colligunt:* finem altissimum, doctrinae sublimitatem atque maximam pietatem, miram efficaciam, auctoritatem super omnia firmam, omnimodam inerrantiam. Haud raro etiam sensum duplicem, literalem, mysticum, imo aliquando multiplicem literalem, ex inspiratione derivant.

Quod non ita intelligendum est, ac si ex sola inerrantia vel divina auctoritate libri, eius origo divina certo colligi posset. Nam etsi Deus librum ab homine viribus tantum humanis conscriptum, ut vera continentem approbaret, tamen primo de inerrantia

eiusmodi libri constaret. Deinde quibusdam videtur, cum Deus, tali approbatione sese vadem libri exhibendo, vero modo auctoritatem suam ad eum librum applicet, ea quae in libro continentur, etiam in tali suppositione fide divina credi posse atque debere.

214. — *Quaeri potest, num in evolvenda doctrina de inspiratione* procedendum sit *e conceptu Dei auctoris* libri mediante homine, an potius *e conceptu Dei inspirantis librum,* ea tamen ratione, ut mediante inspiratione fiat auctor libri. At haec quaestio ad hunc locum non pertinet, sed ad eam partem huius tractatus, quae de explicanda inspiratione est. Etenim hic solum factum inspirationis stabiliendum est, hoc autem factum utroque conceptu et recte exhibetur et revera in traditione exhibitum est.

215. — Quae testimoniorum genera e singulis fontibus theologicis, imo e singulis auctoribus praecipue eligamus. — Praecipue *ea* testimonia proferenda putamus, *in quibus aut universa Scriptura aut narrationes historicae ipsorum hagiographorum, quam maxime si de rebus profanis agunt, ad Deum ut narrantem referuntur.* Omisimus vero fere talia testimonia, in quibus tantum vel proxime sermo est de eiusmodi locis Scripturae, in quibus hagiographi nihil aliud faciunt, quam ut quasdam revelationes divinas enuntient. Etenim si solummodo de hac secunda specie locorum Scripturae diceretur, Deum in iis loqui, aliquando non satis pateret, an ipsa scriptio horum locorum Deo attribueretur, an tantum revelatio divina, quae scriptione mere humana ad caeteros delata esset. Hoc ultimum autem si assumi posset, talia testimonia ad nostram thesim probandam nihil conferrent.

216. Inspiratio Spiritui Sancto attribuitur, non simpliciter ad Deum reducitur. — Ita alias saepe in Traditione, ita in ipsa definitione Concilii Vaticani. — Cum inspiratio sit actio Dei ad extra, patet eam Spiritui Sancto nonnisi *per modum appropriationis* tribui.

Appropriatur autem Spiritui Sancto praecipue ideo, quia inspiratio est quaedam gratia gratis data. Omnia autem dona pretiosissima, charismatica, uti universus ordo gratiae supernaturalis, ad quem istae gratiae gratis datae referuntur, Spiritui Sancto ideo attribuuntur, *quia ipse ex personali proprietate donum est.* Ex personali vero proprietate idcirco donum esse dicitur, quia ex amore procedit, atque proinde semper speciali modo aptus est ut detur, non utique eo sensu, ac si semper actu detur. Cf. v. g. PESCH, Praelect. dogm. II

n. 568. — Lud. Billot, De Deo uno et Trino, [4] Romae 1902, Thesis 29 p. 531-5. — Theodor Scheermann, Die Gottheit des hl. Geistes nach den griechischen Vätern des vierten Jahrhunderts, Freiburg i. B. 1901 (Strassburger Theol. Studien IV 4-5). In singulis Patribus quos exhibet, paragraphum habet de activitate Spiritus sancti, ubi quaedam de inspiratione.

Propositio I. — Scripturam habere Deum auctorem, idque mediante inspiratione, proibatur e consensu Patrum.

217. — Lit. — Hoc loco non tantum eam partem literaturae patristicae exhibebimus, quae proxime ad demonstrandam inspirationem Scripturae in genere inservit, verum *etiam universim eam literaturam patristicam, quae ad probandas caeteras quoque theses tractatus* nostri utilis est. Cum enim pro utroque fine eadem fere opera proponenda sint, praeferendum videtur, ut ea in diversis capitibus non repetantur, sed potius ad hunc locum remittatur. Quaedam specialia tamen postea addemus.

Cum tanti faciendum sit, traditionem Patrum in hac nostra re pernoscere, *triplex adiutorium literarium* damus, quo studia privata ampliori ratione iuvari possint: primo opera generalia; deinde monographica sive de periodis quibusdam sive de singulis Patribus; tertio conspectum eius tractationis de aevo Patristico, quam habet Pesch. Qui ipsos textus Patrum latine in contextu eorum exhibere solet.

Opera generalia.

218. — V. primo opera citata n. 84 et 86 p. 45, praecipue Dausch, Leitner, Pesch. — Praeterea William Lee, The Inspiration of Holy Scripture (cf. n. 197 p. 85), Appendix T, The judgement of the Fathers, p. 484-527 optima testimonia collegit. — E. Mangenot, art. Inspiration, Diction. de la Bible II col. 890-7.

Bardenhewer et in opere Patrologie [2] 1901 et praecipue in alio maiore: Geschichte der altkirchlichen Literatur (usque nunc v. I et II usque ad concil. Nicaen., 1902-3), et quaedam capita specialia de re biblica habet et in singulis Patribus maioris momenti de re biblica apud ipsos speciatim agere solet.

Materiam multam continere solent etiam opera, quae historiam canonis exponunt, uti v. g. Cornely I p. 19-231; Compendium [6] p. 15-54. — Trochon, Introduction générale I 1901 Paris, p. 103-200.

Monographica.

219. — **De Patribus apostolicis.** — I. Sprintzl, Die Theologie der apostolischen Väter, Wien 1880.

De Patribus apostolicis et apologetis saeculi 2. — I. Delitzsch, De inspiratione Script. sacr. quid statuerint Patres apostolici et apologetae secundi saeculi, Lipsiae 1872.

De Schola Alexandrina. — Leonardof, Die Theorie der bibl. Inspiration in der Alexandrinischen Schule (Viera i Rasum 1906 I p. 287 sq.).

De Schola Antiochena. — Phil. Hergenröther, Die antiochenische Schule und ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiet, Würzburg 1866, 73.

220. — **De S. Clemente Romano** (sub finem saeculi 1). — *Ed.* Funk, Patres apostolici ²1901. — *Citationes Clementis e Scriptura* v. collectas v. g. Lightfoot, The Apostolic Fathers, First Part, S. Clement of Rome, v. II p. 515-17; Funk p. 643-5. — *Expositio doctrinae* ex acatholicis v. apud W. Wrede, Untersuchungen zum ersten Klemensbriefe, Göttingen 1891, c. 2. Der este Klemensbrief und das Alte Testament p. 58-111, praecipue 74-5.

De S. Iustino († inter 163-7). — Ed. melior in Otto, Corp. Apol. Tom. 1 et 2, Ienae ²1875-7. — *Expositiones de doctrina:* C. Semisch, Iustin der Märtirer, Eine Kirchen - u. Dogmengeschichtliche Monographie, Breslau 1840-2, 2 v. — Th. Otto, De Iustini Martyris Scriptis et Doctrina, Ienae 1841, 199, p. 123-5. — K. L. Grube, Darlegung der hermeneutischen Grundsätze Iustins des Märtyrers in: Katholik tom. 60, 1880 I p. 1-42. — *Materia* sub voce Prophetae in indice ed. Otto p. 569-70. — *Locos quos Iustinus e Scriptura citat* v. Ibid. II p. 579-93; quae ex evangeliis E. Preuschen, Antilegomena, Giessen 1901, p. 21-38, 119-33.

221. — **De Auctore Cohortationis ad Gentiles** (ut videtur, sub finem saeculi 2 vel sub initium 3 saeculi). — Cum S. Iustinus haberetur auctor huius scripti, in genere res eius sub nomine Iustini tractantur.

De Clemente Alexandrino (c. 150-c. 215). — A. De La Barre S. I. in art. Clement d'Alexandrie in Dict. de Théol. III col. 164-5. — Sanday, Inspiration p. 33-47. — Theod. Zahn, Geschichte des neutestamentlichen Kanons I 1 1888 p. 94 cum nota. — Id. Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons III 121 sq. 132 sq.

De Tertulliano (c. 160-c. 240?). — Adhémar D'Alès S. I., La Théologie de Tertullien, Paris 1905, 535 p. 221-54.

De S. Hippolyto (217-22 antipapa). — Bardenhewer, Geschichte der Altkirchl. Lit. p. 606. — Adhémar D'Alès S. I., La Théologie de S. Hippolyte, Paris 1906, 242 p. 110-35.

De Origene (185[6]-254[5]). — *Ed.* nova melior quam MG in CB, adhuc incompleta. — *Expositiones doctrinae:* Ernst Rud. Redepenning, Origenes I 1841, Die heilige Schrift p. 253-324. — August Zöllig, Die Inspirationslehre des Origenes, Freiburg 1902, 130, 1-91. — Ferdin. Prat S. I., Origène, Le Théologien et l'Exégète, Paris 1907, Livre deuxième ch. 2, 1 p. 115-25.

De S. Cypriano (c. 200-58). Editio in CV III 1-3. — Friedr. Wilh. Rettberg, Cyprianus, Göttingen 1831, 399 p. 306-10.

222. — **De S. Aphraate** (scripsit inter 336-45). — *Ed.* Parisot, Patrologia Syriaca I, II Paris 1894-7, p. XLI-XLIX de eius doctrina quoad Scrip-

turam. — Paul Schwen, Afrahat, Seine Person und sein Verständniss des Christentums, Berlin 1907, 153 p. 29-54.

De S. Ephraem Syro († c. 373). — C. Eirainer, Der hl. Ephraem der Syrer, Eine dogmengeschichtliche Abhandlung, Kempten 1889. — Lamy, L'exégèse en Orient au quatrième siècle, in Rev. Bibl. 1893 p. 5-26, 161-82, 465-86; 1897 p. 380-96, 535-47. — F. C. Burkitt, Early Eastern Christianity, London 1904.

223. — **De S. Ambrosio** (c. 340-97). — I. B. Kellner, Der hl. Ambrosius... als Erklärer des Alten Testamentes, Regensburg 1893, 186 I A 2: Inspiration der hl. Schrift, praecipue p. 23-7.

De S. Chrysostomo (344-[7]-407). — Phil. Hergenröther, Die Antiochenische Schule und ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiet, Würzburg 1866, p. 31-42. — Ex operibus specialibus: Sebastian Haidacher, Die Lehre des hl. Ioh. Chrysostomus über die Schriftinspiration, Salzburg 1897, 79; p. 5-22 de inspiratione in genere; 27-33 de eius extensione ad omnes sententias, 43-77 de inerrantia. — Minus recta habet Th. Förster, Chrysostomus in seinem Verhältniss zur antiochenischen Schule, Gotha 1869 p. 12-54.

De S. Hieronymo (331 [-40]-428). — Otto Zöckler, Hieronymus, Sein Leben u. Wirken, Gotha 1865 p. 429-31; 370-81. — Léon Sanders O. S. B., Études sur S. Jérome, Bruxelles 1903, Ch. 1 et 2 p. 97-106.

De S. Augustino (354-430). — *Ed.* recentior CV., nondum completa. — Henr. Nicol. Clausen, Aurel. Augustinus Hipponensis, Sacrae Scripturae interpres, Hauniae 1827, 278, praecipue p. 91-161. — C. Douais, S. Augustin et la Bible, in Rev. Bibl. 1893 p. 62-82, 351-78; 1894 p. 110-36, 410-33.

De Theodoro Mopsuesteno (c. 350-428). — Heinr. Kihn, Theodor von Mopsuestia u. Iunilius Africanus als Exegeten, Freiburg. B. 1880, praecipue p. 93-115.

Catalogus auctorum aevi patristici e Pesch.

224. — Additur numerus marginalis. Quod ad amplitudinem tractationis spectat, generatim singuli numeri fere singulis paginis respondent.

S. Clemens Romanus . .	37	S. Hilarius Pictaviensis .	51
S. Polycarpus	37	S. Zeno Veronensis . . .	52
S. Iustinus M.	38	S. Optatus Milevitanus .	53
S. Theophilus Antiochenus	40-1	Clemens Alexandrinus. .	61
		Origenes	62-7
S. Irenaeus	42-3	S. Basilius Magnus . . .	68
Hippolytus	44-6	S. Athanasius	69
Tertullianus	47	S. Gregorius Nazianzenus.	70
S. Cyprianus	48	S. Gregorius Nyssenus. .	71
Lactantius	49	S. Cyrillus Alexandrinus.	72
Marius Victorinus . . .	50	Eusebius Caesariensis . .	73

S. Ambrosius 74-6
S. Eustathius Antiochenus. 77
Theodorus Mopsuestenus . 78-80
Leontius Byzantinus . . 81
Theodoretus Cyrensis . . 82-4
S. Ioannes Chrysostomus. 85-91
Isidorus Pelusiota . . . 92
S. Cyrillus Hierosolymitanus 93-5
S. Ioannes Damascenus . 96
S. Ephraem. 101-4
Aphraates 105
Iacobus Sarugensis . . . 106
Iunilius Africanus . . . 107-8
S. Hieronymus 109-16
S. Augustinus. 117-29
S. Salvianus 130
S. Leo M. 131
S. Gregorius M. 132-4

Pars I. — Patres affirmant Scripturam esse inspiratam.

S. Clemens Romanus.

225. — Scripturae vi originis sunt eloquia Dei. — In ep. (1) ad Corinthios S. Clemens principii loco hoc effert: « Inspexistis diligenter scripturas sacras, quae verae sunt et *datae per Spiritum Sanctum (τὰς ἀληθεῖς, τὰς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου)*.

Synonima videntur ei esse « sacrae scripturae » et divina eloquia nam 53, 1 ait: « probe nostis sacras scripturas et penitus in divina eloquia introspexistis ».

Quae non ita intelligit ut de Scripturis tantum eatenus valeant, in quantum ut obiectum verba Dei referunt. Nam *Deo attribuit verba hagiographorum, quae in tertia persona de Deo loquuntur,* uti 34, 3: « Praedicit enim nobis (Deus): Ecce Dominus et merces eius coram ipso... ». Spiritui Sancto ascribit 16, 2-16 omnia quae Isaias in propria persona vel nomine populi de servo Dei patientis humilitate vivide depingit. Sub solemni formula « scriptum est » etiam historica affert v. g. 4, 1-6 historiam de sacrificio Kain et Abel, 39, 3 sq. paraenetica verba ipsius psalmistae loquentis.

Ex eo quod Scripturae divinam auctoritatem ascribit, sine dubio etiam hoc descendit, quod raro ipsos singulos humanos auctores nominibus eorum vocat, sed tantum ad Deum vel Spiritum Sanctum ea scripta refert, vel etiam solemnem formulam « scriptum est » adhibet.

S. Iustinus.

226. — Scripturae verba a Spiritu Sancto sunt. — Apologia (I) n. 36 Otto I p. 107 MG. 6, 386 S. Iustinus haec habet: « Quando autem prophetarum verba velut ex aliqua persona dicta

auditis, *ne ab iis qui afflati fuerunt dici existimetis, sed a movente illos divino logo.* Interdum enim ut praenuntians profert quae futura sint, interdum ut ex persona domini omnium et patris dei loquitur, interdum ut ex persona Christi, interdum ex persona populorum domino aut eius patri respondentium; quale est quod etiam apud vestros scriptores cernere licet, apud quos unus quidem scribit omnia, colloquentes autem personas inducit ». Cum quo congruit quod Dialogus cum Tryphone n. 7 Otto II p. 31 MG 6, 491 hoc habet: « Exstiterunt ante multum tempus viri quidam omnibus istis qui philosophi existimantur antiquiores, beati et iusti et deo cari, qui *divino spiritu afflante locuti* et futura vaticinati sunt, quae quidem nunc fiunt: prophetas autem eos vocant ». Unde in eodem, Dialogo n. 25 Otto p. 87-8 MG 6, 530 *cum longum sermonem Iudaeorum refert, ait:* « *quemadmodum per Iesaiam clamat spiritus sanctus,* ut ex persona eorum dicens haecce ». Simili modo Dial. n. 34 Otto p. 113 MG 6, 547 dicit: « Alium quoque psalmum (71) Davidi a Spiritu Sancto dictatum *(εἰρημένου)* commemorabo ». Item n. 37 Otto p. 127 MG 6, 555: « Et in psalmo nonagesimo octavo exprobat vobis spiritus sanctus, et hunc quem non vultis regem esse, regem et dominum et Samuelis et Aaronis et Mosis et ceterorum prorsus omnium esse declarat ». Etiam *simplicem notam historicam* Novi Testamenti solemni formula Scripturam Sanctam exhibente introducit Dial. n. 49 p. 169 MG 6, 583: « Et scriptum est: Tum discipuli intellexerunt, eum de Ioanne Baptista locutum esse ».

Auctor cohortationis ad gentes.

227. — Scriptura divino afflatui ascribenda est. — Etenim n. 12 ed. Otto III 53 MG 6, 263 ait: « sola ante illud tempus (quo Graeci philosophi opera sua ediderunt) extabat primi prophetae Mosis *historia, quam divino afflatu Moses scripsit* Hebraeorum literis ».

Qua in scriptione auctores instrumentaliter deserviebant Spiritui Sancto. — Etenim ait n. 80: « Neque enim natura neque humana cogitatione res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed dono quod superne in sanctos viros tum descendebat, quibus nec verborum artificio opus fuit nec rixandi quidquam et litigandi studio dicere, sed puros seipsos divini spiritus praebere operationi, ut ipsum *divinum e caelo delapsum plec-*

trum, velut instrumento citharae alicuius vel lyrae iustis viris utens, rerum divinarum nobis et caelestium cognitionem revelaret ». Erat illud propheticum donum. Mosi « primum deus exhibuit divinum illud et *propheticum donum* quod tum in sanctos viros superne descendebat et primum hunc religionis nostrae magistrum instituit, deinde ceteros post eum prophetas, qui ipsi idem atque ille donum consecuti sunt et nos eadem de iisdem rebus docuerunt. Hos nostrae religioni magistros fuisse dicimus, qui nihil ex humana cogitatione sua nos docuerunt, sed ex dono quod superne iis a deo datum est ».

228. — *Verba divina nequaquam sunt tantum ea, quae in Scriptura Deo ut revelanti ascribuntur.* Pro fine libri sui premit, ipsas historias sacras, quae ab ipsis hagiographis suo ipsorum nomine proferuntur, esse prophetica dicta. Vult enim demonstrare, prophetas in genere in suis doctrinis religiosis divinam veritatem docuisse, ethnicos vero sapientes aut errasse aut ea, in quibus non erraverint, e prophetis hausisse. Imo de facto agit fere unice *de historia religiosa* quam prophetae Veteris Testamenti enarrant.

N. 35 Otto p. 113 scripta talia historica dicit « *divinas prophetarum historias* », imo ib. 114 ea prophetias dicit.... « reliquum vobis erit, ut posthac, maiorum vestrorum abicientes errorem, prophetias sacrorum virorum legatis.... et ab iis discatis ea, quae aeternam vitam vobis allatura sint ». Imo, quia divinum illud plectrum e coelo delapsum iis utebatur, ideo in religiosa historia referenda omnes uno ore vera docent: « Idcirco igitur velut uno ore unaque lingua et de deo et de mundi creatione et de formatione hominis et de humanae animae immortalitate futuroque post hanc vitam iudicio et de omnibus rebus, quarum necessaria nobis cognitio est, summa secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerunt, idque quum diversis locis ac temporibus divinam nobis doctrinam traderent ». n. 8 p. 41.

Unde nullum rationabile dubium videtur esse, eum n. 31 p. 106-7 MG 6, 300 verba Ezechielis narrativa de gloria Domini, verba libri 3 Regum: « non in commotione Dominus » ut ea proponere, quae a prophetis ut talibus scripta sint.

S. Irenaeus.

229. — **Deum esse auctorem Scripturae idque omnium sententiarum sequente inde inerrantia earum omnium,** sanctus episcopus Lugdunensis uno loco optime comprehendit.

Cuius vis ut percipiatur, haec praemittenda esse videntur. Agit contra Gnosticos, qui affirmabant, Vetus Testamentum (saltem ex parte) non esse a Deo vero inspiratum, item in Novo non eos locos, qui Deum Iudaeorum commendare videntur. Contra quos premit, *totam scripturam Veteris et Novi Testamenti esse a Deo pronuntiatam.* Ideo nullum in iis posse inveniri obiectivum errorem, sed omnem erroris apparentiam esse ex parte nostrae deficientis intelligentiae.

Locus autem hic adv. haer. l. 2 c. 28 n. 2 MG 7, 804-7 ita se habet: « Si omnium quae in Scripturis requiruntur, absolutiones (solutiones) non possumus invenire, alterum tamen Deum praeter eum, qui est, non requiramus. Impietas enim haec maxima est. Cedere autem haec talia debemus Deo, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae,* nos autem secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu eius, secundum hoc et scientia mysteriorum indigemus ».

Etenim « si in rebus creaturae quaedam quidem eorum adiacent Deo, quaedam autem et in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si et eorum, quae in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritalibus exsistentibus, quaedam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quaedam autem commendamus Deo; et non solum in hoc saeculo, sed et in futuro; ut *semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat a Deo?* » Conservandam autem esse hanc fidem, quod « *omnis Scriptura a Deo nobis data* consonans nobis invenietur, et parabolae his, quae manifeste dicta sunt, consonabunt, et manifeste dicta absolvent parabolas; et per dictionum multas voces unam consonantem melodiam in nobis sentiet laudantem hymnis Deum, qui fecit omnia ».

Clemens Alexandrinus.

230. — Spiritus S. universas Scripturas elocutus est. — Clemens Alexandrinus statuit, assimilare homines Deo, Dei opus esse. Iamvero Scripturam homines Deo assimilare. Ergo eam Deum debere habere auctorem. Unde « *scripturas illas seu volumina, quae ex his litteris syllabisque sacris* [sanctos facientibus] *constant, apostolus appellat divinitus inspiratas* ». Protrept. c. 9 MG 8, 198 G 200 A. At qua ratione sunt inspiratae, a Deo ut causa efficiente profectae?

Responsum habes Protrept. eodem in capite col. 192 D et 194 A: « Possem etiam alias tibi Scripturas afferre pene innumerabiles, quarum ne apex quidem praeteribit qui non perficiatur. *Spiritus enim sanctus qui Domini [Christi] quasi os est, ea est elocutus* ». Quam stricte haec elocutio per Spiritum Sanctum facta a Clemente intelligatur, ex eo sequitur, quod ipsis Scripturis fide divina adhaeretur. Ita Strom. l. 2 c. 2 ad finem MG 8, 941: « *Qui divinis ergo Scripturis firmo iudicio credit*, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei scilicet, qui Scripturas dedit, vocem accipit. Ita fides per demonstrationem firmior fieri nequit. Beati itaque, qui non viderunt et crediderunt ».

At fortasse potius ea quae revelata referuntur in Scriptura credenda dicuntur, quamvis forte humano spiritu conscripta sint? Haec explicatio impossibilis est. Etenim — omissis aliis — *inter ea, quae elocutioni per os Domini attribuit, verba Pauli Rom. 21, 23, 25 refert, quibus ille de idololatria agit.*

231. — In genere *omnes sacras Scripturas uti propheticas nominat.* — Ita in diversis locis Strom. *προφητικαὶ γραφαὶ δοθεῖσα δι αὐτοῦ* (sc. *τοῦ κυρίου*) *προφητεία, αἱ προφητεῖαι,* sunt omnino idem, quod ibi etiam nominatur *αἱ γραφαὶ* vel *κυριακαὶ γραφαί.* De hoc usu vocis *προφητεία* apud Clem. cf. v. gr. ZAHN. o. et l. c. Continuo ex omnibus Scripturis, centenis vicibus etiam ex epistolis Novi Testamenti, contra haereticos argumentatur ut ex argumento divino: Qui in apostolis (Paulo 1 Cor. 3, 2), erat Sanctus Spiritus, dicit mystice « Lac vobis potum dedi », quae utique Pauli verba sunt. Sensum allegoricum, quem Scripturae ut tali tribuit, eadem ratione ad Vetus Testamentum et ad Novum adhibet, imo in epistulis Novi Testamenti methodum interpretationis allegoricae fundat. Exempla cf. SANDAY o. c. p. 69.

232. — Confirmatur doctrina Clementis de inspiratione ipsorum librorum qua divinitus scriptorum ex his: Secundum eum « *Esdras*, Levites sacerdos, *prophetavit omnes veteres Scripturas renovans* ». Strom. l. 1. c. 22 MG 8, 893 A. Septuaginta vero senes « cum unusquisque singillatim ex suo singulas interpretatus esset prophetias » i. e. cum libros Veteris Testamenti verterent, hoc ipsum inspiratione divina fecerunt. « Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut *interpretationem quoque tamquam Graecam efficeret prophetiam* » ib 892 B 893 A.

Origenes.

233. — Origenes data opera de Scripturae praecipue interpretatione agit Periarchon l. 4 per totum MG 11, 341-414. Praeterea cf. Philocalia, ed. S. Armitage Robinson, Cambridge 1893, MG 14, 1309 sq. Quod scriptum est florilegium, quod S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus e scriptis Origenis collegerunt.

234. — Scriptura habet Deum auctorem mediante inspiratione. — Solemniter declarat Periarchon, Praefatio n. 8 MG 11, 119 : « (Est illud in ecclesiatica praedicatione).... quod *per spiritum Dei Scripturae conscriptae sint* ». Qua ratione? Divino in homines afflatu : « Non hominum opera sunt sacrae Scripturae, sed *ex afflatu Spiritus sancti,* voluntate Patris omnium per Iesum Christum conscriptae sunt. » ib. l. 4 c. 9 MG 11, 360.

Unde eas continuo vocat divinas, non tantum propter revelationes quas saepe continent, sed ratione originis. Ita enim ipse l. c. l. 4 n. 1 M 11, 341 nomen explicat : « quod *ipsae Scripturae divinae* sunt, i. e. Dei spiritu inspiratae ».

Quare saepe *narrationes per se profanas,* quae nullo modo revelationes divinas continent, *Spiritui Sancto clarissime attribuit.* Ita in Num. 26, 3 MG 12, 774 A, B haec habet : « Post haec sequitur historia de haereditate Ruben et Gad et dimidiae tribus Manasse, de qua proponentes aliqua disserere, volumus prius auditorum diligentiam commonere, et animos eorum ad contemplationem spiritalis intelligentiae suscitare. Omnia quae dicuntur non solum ex ipso qui dicitur sermone pensanda sunt, sed et *persona dicentis magnopere consideranda est. Qui haec gesta narrat,* quae legimus, neque puer est, qualem supra descripsimus, neque vir talis aliquis, neque senior, nec omnino aliquis homo est: et ut amplius aliquid dicam nec angelus aliquis aut virtutum coelestium est, sed sicut traditio maiorum tenet, *Spiritus Sanctus haec narrat* ».

S. Ephraem.

235. — Libri sacri a Spiritu Sancto per homines scripti sunt. — S. Ephraem *scripturas* « *divinitus inspiratas* » dicit, ex quibus « testimonia ad plenam indubitatae fidei confirmationem » apponat. Instit. ad monachos, S. Ephraem Opera omnia graece - syriace - latine t. 1-6 Opera graece III 325. — Alio loco eas vocat « *Spi-*

ritus Sancti libros ». Carm. funebr. 11 Op. lat.-syr. III 241. — Qua ratione sunt Spiritus Sancti libri? Ita ut S. Spiritus eos scripserit. Nam explicans cur Apostolus scripserit: « Nolite contristari Spiritum Sanctum » cum tamen natura Spiritus Sancti doloris sit expers, ita prosequitur: « Hominibus itaque dolori mortique subiectis *talia scripsit Divinus Spiritus*, eos directe monens ne ipsum contristarent, quo illis insinuaret, velle se ea, quae ex arte composita (metaphorica locutione) sibi ipse accomodabat, illismet misericorditer refundere... » Op. lat.-syr. II 98-100.

S. Basilius.

236. — Libri sacri a Spiritu Sancto conscripti sunt. — S. Basilius, homil. in Ps. 1 n. 1 MG 29, 210 A 211 A-C, librum Psalmorum cum caeteris libris Scripturae comparat: « Omnis *Scriptura* est divinitus inspirata atque utilis, ideo *a Spiritu Sancto conscripta*, ut velut in communi animarum curandarum officina nos omnes quotquot sumus homines ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus. Medicina enim, inquit Scriptura, sedabit peccata magna. Aliud igitur prophetae docent, aliud historia, aliud lex, aliud species eius quae in Proverbiis invenitur exhortationis. At quidquid in caeteris utile est, hic unus Psalmorum liber complectitur. Vaticinatur futura, animos revocat ad historiae memoriam, praescribit vitae instituendae modum, quae sunt agenda suggerit ». Formam deinde canticorum quae Psalmi dicuntur considerans, ita pergit: « Etenim ubi *Spiritus sanctus* genus hominum perspexit ad excolendam virtutem adduci vix posse, et a nobis ob nostram in voluptatem propensionem viam rectam contemni, quae agit? *Dogmatis immiscuit harmoniae dulcedinem*, ut rerum auditarum iucunditate a dulcedine eloquiorum utilitatem nescientes perciperemus ».

Precationes ergo ipsas, proverbia, historica, non solas forte revelationes Prophetarum, a Spiritu Sancto ut conscriptore S. Doctor repetit.

S. Chrysostomus.

237. — Scriptura est epistola Dei ad nos. Homines ab eo moti erant ad scribendum. — In Gen. hom. 2 n. 2 M 53, 28 S. Chrysostomus effert, ab initio quidem Deum immediate cum hominibus conversatum esse, sed « quia sua familiaritate postea indigni facti

fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, *quasi longe absentibus litteras mittit*... Et has quidem litteras *dedit Deus, attulit autem Moyses*... Quid ergo dicunt hae litterae ? In principio fecit Deus caelum et terram ». — Mosem ita loquentem facit Sanctus: « Is ipse, qui haec, cum non essent, fecit, ut essent, *linguam meam ad haec enarranda impulit*. Igitur, obsecro, ita auscultemus, quasi non iam a Mose sed per linguam Mosis ab ipso universorum Deo audiamus (*οὐκέτι παρὰ Μωσέως ἀκούοντες*) ». V. 2 haec notat MG 55, 520: « Loquutus quippe est propheta, sed prophetae linguam excitavit Paracletus. Ideo inquit: Lingua mea calamus scribae velociter loquentis ». « Quemadmodum calamus non a seipso scribit sed virtute manus ipsum moventis: sic et *lingua prophetarum non a seipsa loquebatur, sed ex Dei gratia* ». Illud « loqui » intelligit certe loqui per litteras, uti ad finem numeri similem locutionem explicat.

S. Hieronymus.

238. — S. Hieronymus, Comm. in Is. l. 9 c. 29 in v. 9 sq. ML 24, 331 D-332 A premit, Iudaeos non posse intelligere sensum Scripturae, sed soli Christo (et iis qui spiritum eius habeant) hoc datum esse. « Leo autem de tribu Iuda, Dominus Iesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed *omnium Scripturarum, quae uno scriptae sunt Spiritu Sancto*, et propterea unus liber appellantur.... De quo et Salvator loquitur in psalmis: In capitulo libri scriptum est de me; non Ieremiae non Isaiae, sed in omni scriptura sancta, quae unus liber appellatur ». Unde in Comm. in epist. ad Ephes. l. 1 ad v. 10 ML 26, 454 C, post enumeratas historias diversas, e diversis libris historicis Veteris Testamenti depromptas, affirmat eas omnes pollicitas esse adventum Filii Dei, atque proinde restaurari in passione Christi: « Diligenter attendite, quod non solum *omnes historiae Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus Sanctus enumerat,* sed etiam in coelestibus quae nobis occultae sunt, in Christi recapitulata passione teneantur ».

S. Augustinus.

239. — Ipse Deus Scripturam per homines ut instrumenta conscripsit. — S. Augustinus Confess. l. 13 c. 29 n. 44 ML 32, 864 secum reputans in c. 1 Gen. septiens scriptum esse, Deum vidisse

quia bona erant opera singulorum dierum, quae fecerat, tantum semel vero scriptum esse, omnia (simul sumpta) esse valde bona, ita Deum alloquitur: « Et attendi, ut invenirem, utrum septiens vel octiens videris, quia bona sunt opera tua, cum tibi placuerunt, et in tua visione non inveni tempora per quae intelligerem, quod totiens videris quae fecisti, et dixi: o Domine, nonne *ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?* »

240. — Antequam l. 22 de civitate Dei inde a l. 11 fata civitatis Dei atque eius quam diabolus condidit, evolvere incipit, S. Doctor eodem l. 11 c. 3 ML 41, 318 viam quaerendae veritatis de divinis rebus hac ratione indicat: *Iesus* « prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea *per apostolos*, quantum satis esse iudicavit, *etiam Scripturam condidit*, quae canonica nominatur, *eminentissimae auctoritatis*, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus ».

Qua ratione autem Iesus per alios, speciatim per apostolos, scripserit, S. Augustinus in opere De consensu evangelistarum l. 1, c. 35 n. 54 ML 34, 1070 generali quadam ratione declarat: « Qui Prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et Apostolos post ascensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem *membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si *ipsam manum Domini*, quam in proprio corpore gestabat, *scribentem conspexerit* ».

Unde litteras dicit Sripturas a Deo, a coelo missas. Etenim in Enarrat. in Ps. 149 n. 5 ML 37, 1952 fidelibus exponit, etsi gaudium nostrum in terris non sit plenum, consolationibus tamen peregrinationem nostram non esse destitutam. Nam « *venerunt ad nos litterae de patria nostra,* ipsas vobis recitamus ». Unde Scripturam Conf. 7, 21 M 32, 747 etiam vocat « *venerabilem stilum Spiritus tui* ».

S. Gregorius Magnus.

241. — Scriptura est epistola Dei ad creaturam suam. — S. Gregorius Magnus in Iob, Praef. n. 1 ML 75, 517 iis, quos perturbabat ignoratio auctoris humani libri Iob, ita respondet: « Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen *auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur.* Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. *Ipse scripsit, qui in illius opere inspirator extitit* et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta, quaereremus, ridiculum profecto esset, epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo eorum verba impressa essent, indagare. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem teneamus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo percontamur? ».

Sequitur hagiographos quia impulsu Spiritus Sancti agitantur, neque tunc spiritu proprio loqui, quando de se ipsis testimonia proferunt. Ergo « *Sanctus Spiritus per Moysen locutus est de Moyse;* Sanctus Spiritus per Ioannem locutus de Ioanne ». Quare Theodorum medicum reprehendit, qui cotidie legere « negligit verba Redemptoris sui. *Quid est autem Scriptura sacra nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* ». Epist. l. 4 ep. 31 ML 77, 701.

Pars II. — Patres rata et firma sententia docent, hanc veritatem ab ecclesia aut credi aut esse credendam.

Anonymus quidam.

242. — Anonymus quidam de Gnosticorum diversis sectis haec scribit (apud Euseb. hist. eccl. l. 5 c. 28 n. 18 ed. Schwartz, 1903 GCS 9 p. 506 lin. 9-12): « Aut enim *non credunt, divino Spiritu scripturas esse conscriptas, et sunt infideles;* aut semetipsos arbitrantur sapientiores esse Spiritu Sancto; et quid aliud indicant per hoc, nisi quia daemone aguntur? »

Origenes.

243. — Secundum Origenem Periarchon l. 1 c. 4 inter « species eorum, quae *per praedicationem apostolicam manifeste traduntur,* illae

sunt » : « Sane quod *Iste Spiritus unumquemque sanctorum, vel Prophetarum vel Apostolorum inspiraverit*, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in Ecclesiis praedicatur ».

In Titum vero c. 3 v. 10 haec habet : « Si qui sunt qui Spiritum S. alium quidem dicant esse qui fuit in Prophetis, alium autem qui fuit in Apostolis Domini nostri Iesu Christi, unum atque *idem delictum impietatis admittunt, quod illi qui, quantum in se est, Naturam Deitatis secant*, et scindunt unum Legis et Evangeliorum Deum ».

S. Athanasius.

244. — S. Athanasius, Ep. 39 MG 26, 1435 sq. (secundum versionem quam dat Pesch n. 69 p. 72) S. Lucam imitatur in exponendo ordine Scripturae inspiratae: « Quoniam nonnulli conati sunt ordinare sibi apocrypha, quae dicuntur, et ea immiscere Scripturae divinitus inspiratae, *de qua perfecte instructi sumus, quemadmodum patribus nostris tradiderunt illi, qui ab initio testes oculati fuerunt et ministri verbi facti sunt,* visum est et mihi rogato a sinceris fratribus et a principio edocto, secundum ordinem exponere libros in canonem receptos et traditos et *divinos habitos*, ut quivis, si forte erraverit, *cognoscat seductores ;* sin purus manserit, laetetur denuo commonefactus ».

S. Cyrillus Hierosolymitanus.

245. — S. Cyrillus Hierosolymitanus inter celeberrimas suas catecheses quartam ad hunc finem dirigit n. 3 MG 33, 458 : « Antequam ea quae ad fidem pertinent tradam, praeclare acturus videor, si brevi compendio *summa necessariorum dogmatum nunc capita percenseam :* ne dicendarum rerum multitudo, et intercessurum totius sanctae Quadragesimae dierum spatium, eorum animis qui inter vos simpliciores sunt oblivionem inducat : sed ut nunc capitulatim seminantes, eadem latius in posterum exculta ac pertractata non obliviscamur ». Iamvero *inter haec undecimo loco ponit caput « de divinis Scripturis »*.

Hoc loco proxime ut rem fidei proponit, quae sint divinitus inspiratae Scripturae, quas ita vocat, quia « unus est utriusque Testamenti Deus ».

Quomodo autem hanc phrasim intelligit ? N. 24 col. 497 affir-

mat, « divinas Scripturas *a Sancto Spiritu dictatas* (λαληθείσων) esse ». Putat autem uti fuerunt scriptae per Spiritum Sanctum, ita eas « Spiritus Sancti afflatu » fuisse versas a LXX viris.

Alio autem loco, Catech. 16 II col. 919 etiam clarius phrasim ita explicat: « *Ipse Spiritus S. elocutus est Scripturas*, ipse de se ipso quoque dicit, quaecumque voluit, seu quaecumque capere potuimus ».

Rufinus.

246. — Rufinus, Comment. in Symb. apost. n. 36 ML 21, 373 haec refert: « Et ideo quae sunt Novi ac Veteris Instrumenti volumina, quae *secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur*, et Ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus designare ». Sequitur canon.

S. Augustinus.

247. — S. Augustinus contra Manichaeos agens libris suis contra Faustum his verbis finem imponit l. 33 n. 9 ML 42, 517: « Breviter vos admoneo, qui illo tam nefasto et exsecrabili errore tenemini, ut, si auctoritatem Scripturarum, omnibus praeferendam, sequi vultis, eam sequamini, quae *ab ipsius praesentiae Christi temporibus per dispensationes apostolorum et certas ab eorum sedibus successiones apostolorum usque ad haec tempora toto terrarum orbe custodita,* commendata, clarificata pervenit ».

Etiam alio in loco premit hanc persuasionem inspirationis sacrae Scripturae non suam, sed totius ecclesiae esse. De civ. Dei l. 18 c. 41 ML 41, 600: « Non immerito, cum illa (i. e. libros canonicos, auctores sacri) scriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis, tot tantique populi crediderunt ».

Propositio II. — Quae contra argumentum e Patribus haustum afferuntur, eius valorem non destruunt.

248. — Hac thesi quasdam obiectiones consideramus, quae contra vim testimonii aliquando singulorum, frequentius complurium vel omnium Patrum simul moventur. Quasdam difficultates

afferimus ; omnes enumerare impossibile est. Eas fere videmur elegisse, quae frequentius opponuntur.

In quibus difficultatibus refutandis praecipue in eo sumus, ut *breviter defectus methodologicos ostendamus,* qui iis formandis ansam dederunt. Explicatio autem accurata positiva quorundam dictorum Patrum quae difficultatem facere possint, uti ex ipsa expositione patebit, secundum rectam methodum potius ei parti tractatus relinquenda est, qua de essentia inspirationis agitur.

249. — Obi. 1. — E Patribus v. g. **Clemens Alex.** *non intelligit prophetas ut scribentes, sed ad summum ut loquentes ore.* Etenim eos prophetas qui et ore loquebantur et scribebant, uti v. g. res se habet in Isaia, tamen, cum omnes fontes religiosos enumerat, inter eos collocat qui loquebantur ore. Imo locutionem ore ut principalem habet. V. g. Protrept. c. 1 MG 8, 64-5, ed. Stählin CB 12 p. 8-9, haec habet : Verbum loquitur in rubo: « ipse Dominus in Isaia loquitur, ipse in Elia, ipse in ore prophetarum..., ipse Dominus tibi loquetur » qua incarnatus in forma humana ; ipse loquitur in Ioanne Baptista.

R. 1) Clemens l. c. in eo est, ut omnes eas *formas sub quibus Deus locutus est, proponat ut aequales in ratione auctoritatis divinae,* quae eis competat. Est enim in eo loco, sicuti in integro illo scripto, ea Clementis mens, ut doctrinam christianam qua divinitus communicatam generi humano, opponat doctrinae mere humanae.

Quod autem in eo loco doctrinam qua revelatam prae doctrina qua inspirata effert, ex eodem fine provenit. Principalis enim finis inspirationis in hoc ordine erat ipsa digna revelationis custodia.

2) *Magis determinata* quae Clemens *aliis in locis* de inspirato verbo Dei tradit, *non sunt interpretanda secundum minus determinata,* quae *in generalioribus enumerationibus fontium revelationis* proponit. E contra, secundum rectam methodum ea quae in talibus generalioribus enumerationibus magis indeterminate dicuntur, explicanda sunt secundum magis determinata quae in aliis locis continentur.

250. — Obi. 2. — Papias (apud Euseb. hist. eccl. III 39 MG 20, 298 ed. Schwartz CB 9^1 p. 286) *traditionem oralem libris scriptis, speciatim evangeliis praefert.* Id quod non fecisset, si ea inspirata putasset.

Locus hic est: « Quodsi quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quaenam essent seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthaeus, quid caeteri Domini discipuli dicere soliti essent: quidnam Aristion, et Ioannes presbyter, discipuli Domini, praedicarent. *Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce* ».

R. Papias nequaquam comparat sacram Scripturam aut speciatim evangelia cum notitiis oralibus virorum apostolicorum. Sed tales *notitias ore prolatas virorum apostolicorum de vita et doctrina Christi opponit scriptis eiusmodi, quae doctrinam Christi pervertebant.* Qualia iam tum temporis ab haereticis conscripta fuisse aliunde scimus. — Cf. longam probationem huius asserti apud ZAHN, Geschichte des Neutestam. Kanons I 862-7.

251. — Obi. 3. — Iustinus *id unum docet, Spiritum S. praedixisse vaticinia.* At hoc recte dici potest, etsi Spiritus S. ea solis prophetis dixit, prophetae vero ea vaticinia, quae Spiritus sibi de Novo Foedere revelaverat, viribus tantum humanis conscripserunt.

R. N. mai. *S. Iustinus loquitur etiam de aliis, quae Spiritus S. per scriptores humanos enuntiaverit, imo etiam de notitiis historicis.* Quae omnia ad Spiritum per homines edocentem refert. Cf. expositionem. — Quod autem praecipue in vaticiniis referendis versatur, hoc e fine et Apologiae (I) et Dialogi cum Tryphone repetendum est. Etenim divinitatem religionis christianae et ethnicis in Apologia et Iudaeis in Dialogo praecipue ex eo motivo luculentissimo credibilitatis demonstrat, quod in vaticiniis situm est. Cf. BARDENHEWER, Patrol[2]. p. 45. — Altchristl. Literaturgesch. I p. 202-6, 210-13.

252. — Obi. 4. — *Primi Christiani libros canonis non alio in loco habebant atque libros profanos.* Ita affirmat v. g. SEMLER, Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon, Halle 1771 I p. 18. Cf. HOFFMANN (o. c. n. 167 p. 77) p. 76.

Quantum ad libros Novi Testamenti multi adversarii, e quibus quosdam in alia thesi videbimus, affirmant, *ideam de Novi Testamenti inspiratione non esse ortam nisi medio saeculo secundo.*

In specie **Clemens Alex.** eam inspirationem, quam Scripturae ascribit, intellexisse dicitur ut inspirationem sensu latiore talem. Nam Protrept. c. 6 MG 180 A ed. STÄHLIN CB 12 p. 55 lin. 14 concedit ea, quae ethnici de rebus divinis recte scripserint » ab illis afflatu *(ἐπιπνοίᾳ)* Dei scripta esse ». — Item Strom. l. 6 c. 18

ad finem, MG 9, 400-1, ed. STÄHLIN ib. p. 518 lin. 18-22, confirmat dicta Platonis et Democriti quae inspirationem scriptis poeticis ethnicorum attribuunt.

R. N. ass. 1) Etsi deessent argumenta directa pro persuasione priscae aetatis, *haberetur argumentum praescriptionis.* Cf. textus quos in secunda parte theseos 1 n. 242-7 p. 111-3 citavimus.

2) *Argumentum directum* pro persuasione Christianorum ante medium saeculum secundum quoad Testamentum et Vetus et Novum nobis suppeditant v. g. epistolae Apostolorum, S. Clementis Romani, S. Iustini. Cf. exposita in thesi praecedenti. Adde, si placet epistolam quae BARNABAE dicitur. In ea v. g. ad Deum loquentem reducuntur quae etiam in tertia persona de Deo dicta sunt, v. g. 2, 10; porro sub solemni formula « scriptum est » citatur verbum Domini a Mt relatum.

3) Speciatim quantum ad Clementem attinet, aut sensu latiore eo loco adhibet vocem inspirationis, aut, si mavis, putare poteris Clementem eius opinionis fuisse, tales quasdam particulares sententias vere a quibusdam auctoribus ethnicis sub inspiratione sensu stricto exaratas fuisse. Id quod tamen eum non sensisse puto. Eum in genere multorum errorum etiam in doctrinis religiosis accusasse poetas ethnicos, opera eius produnt. Iterum iterumque monendum est, non e voce qua tali nos argumentari, sed e significatione, quam aliquando tali voci a Patribus inditam esse, e circumstantiis demonstratur.

253. — Obi. 5. — *Patres etiam libros apocryphos ut canonicos citant.* Ita **Barnabas** citat 4 Esdr. et Henoch; **Clemens Rom.** Assumptionem Mosis; **Hermas** prophetiam Eldad et Modat. — Unde *sequitur notionem de indole canonica alicuius scripti nondum satis fuisse firmatam.* Ita v. g. F. C. BAUR, Vorlesungen der christlichen Dogmengeschichte I 1865 p. 378.

R. Nego consequentiam esse legitimam. Aliunde demonstravimus, qualis conceptus Patrum de inspiratione fuerit. *Sequitur ad summum, eos unum vel alium librum, qui inspiratus non erat, ut inspiratum habuisse,* simili modo atque alii unum vel alterum librum qui inspiratus erat, aliquo tempore pro non inspirato habebant. Transmitto tamen, num ipsa exempla rite electa sint. De qua quaestione cf. Hist. canonis.

254. — Obi. 6. — *Diversi Patres affirmant, etiam se, seu alios Christianos, qui etsi pie, humanitus tamen loquebantur vel scribebant,*

inspiratos fuisse. Ergo conceptus, quem de inspiratione Scripturae habebant, non erat is, eam habere Deum ut auctorem. Multae probationes huius asserti ab adversariis afferuntur.

V. g. HARNACK, Dogmengeschichte I [4] p. 186 nota 1 refert verba **Decreti Apost.** Act. 15, 22: « *ἔδοξεν τῷ πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἡμῖν,* **Barnabam, Ignatium,** etc. Adhuc in controversia de baptismate haereticorum aliquem episcopum votum suum dedisse hac formula: « Secundum motum animi mei et Spiritus Sancti ». (CYPR. Opp. ed. HARTEL I p. 457). — Porro **S. Clemens Romanus** 19, 1 quae Corinthiis scripsit vocat « ea quae ab eo (Deo) per nos dicta sunt »; 63, 2 eadem dicit « a nobis scripta per Spiritum Sanctum ». — Plura LEITNER o. c. p. 191-5 quoad magisterium ecclesiasticum infallibile « inspiratum ».

R. Haec et multo plura, quae ipsi n. 49-52 p. 29 30 de diverso usu vocis inspirandi, porro de diversa ratione utendi similibus formulis attulimus, hoc unum probant, ex ipsa voce vel formula in se sola utpote quae sensu latiore et strictiore adhibeatur, argumentum aptum formari non posse pro ea inspiratione, qua mediante Deus fit auctor Scripturae, c; *haec destruunt argumentationem nostram haustam e formulis in quantum e circumstantiis sermonis demonstratae sunt sensum hunc determinatum continere,* n.

Quo sensu et cur auctores in singulis casibus se inspiratos etc. dixerint, quaestio exegetica est, e qua pro nostra quaestione dogmatica non ita multum dependet. Exempli causa adducatur qua ratione ipse SANDAY o. c. p. 386 explicet expressiones Clementis Romani: « Verba Clementis forte dictata sunt a firma certitudine, se principia inspirata atque scripturistica ad praeiacentem particularem casum applicare ».

255. — Obi. 7. — *E Patribus apostolicis nihil aliud habemus, quam quod verba Scripturae ut irrefragabile argumentum allegant.* At talis usus aut ex eo sequi potest, quod putarunt, Deum confirmasse omnia quae sunt in Scriptura, etsi ea humanitus scripta est, aut ex eo quod putant ea esse inspirata. Contra logicam est, si ad eam ex his duabus explicationibus concludimus, quae nobis praeplacet.

R. 1) N. ass. *Aliquando plus dicunt* etiam ipsi. Cf. quae de CLEMENTE ROMANO attulimus n. 225 p. 102; item quae de epistola BARNABAE n. 252 p. 116 — 2) *Aliunde patet,* ea idem voluisse efferre, quod apostoli, quod Dominus, quando ex Scriptura argumentabantur. Ii autem ex Scriptura ut inspirata demonstrabant. — 3) Fides aetatum sequentium magis determinate expressa certis sub

conditionibus nos certos reddit, quid anteriores formulis etiam minus determinatis intellexerint. Id quod in hoc casu valere dogmatice constat, apologetice autem saltem falsitatis argui non potest. Ratio vero expressionis minus determinatae historice ostendi potest.

256. — Obi. 8. — *Patres* ex una parte, uti hic interim supponimus, docent totam Scripturam esse inspiratam; ex alia parte *gradus in ipsa dignitate Scripturae statuunt.* Atqui formalitas quae est in eo, ut aliquis liber a Deo scribatur, seu Deum habeat auctorem, certo certius gradus non admittit. Ergo conceptum Patrum non recte exhibuimus.

R. N. ass. Dist. mai.: Patres gradus admittunt *in eo ipso, quod aliquis liber mediante homine a Deo scriptus sit*, n., differentiae ab iis ex aliis capitibus petuntur, c. — Differentias hauriunt ex eo, quod v. g. res scripta est magis vel minus sublimis; quod cognitio rerum scribendarum modo magis vel minus sublimi impertita est, etc. Ut ex plurimis exemplis unum afferam, CLEMENS ALEX. Novi Testamenti sublimitatem prae dignitate Veteris ideo extollit, quia in illo ipse Deus incarnatus loquens refertur. — Qua ratione respondet ex ipsis acatholicis v. g. SANDAY, Inspiration, Lect. I Note D, The use of the New Testament by Clement of Alexandria p. 68-9. — Ampliora, ubi de inspiratione omnium et singulorum locorum agetur.

257. — Obi. 9. — Qui nimium probat, nihil probat. Iamvero *Patres unanimiter eadem ratione* non tantum id *referunt, Deum* scripsisse per hagiographos, verum etiam eum *hagiographis usum esse ut instrumentis ratione carentibus.* Iamvero in hoc secundo asserendo errarunt. Ergo neque in priore iis auctoritas ascribenda est. Ita multi hodierni auctores.

V. g. PAUL SABATIER, Esquisse etc., 1897 l. 1 c. 3 V p. 98 adductis quibusdam similitudinibus quas Patres adhibent, affirmat: « Les Pères de l'église ne faisaient que suivre une théorie déjà formulée par Philon. » — FRIEDRICH LOOFS, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte [4] 1906 p. 117 cum tot aliis ex Athenagora « magicam » inspirationem deducit. — Alii ex aliis Patribus eandem ideam hauriunt.

R. 1) Haec doctrina, si tamen ab ullo scriptore ecclesiastico tenetur, ab eo certe *non docetur in consensu cum Patribus, qui insuper hanc ipsam explicationem ut a catholicis tenendam proponerent.* Ad summum ageretur de explicatione dogmatis ab uno vel alio profecta. — 2) *Nequit demonstrari, ullum e locis,* ex quibus talem doctri-

nam quidam concludunt, *eam sensum revera continere.* — Plura dicemus cum de essentia inspirationis agitur. Cf. interim si placet e catholicis CRETS p. 170-1, ex ipsis Protestantibus MEYER, Lehrbuch der Dogmengeschichte[2] 68.

258. — Obi. 10. — SANDAY, Inspiration, Lect. 1, p. 45 : « De facto non existebat dogma durum et firmum de inspiratione universae ecclesiae impositum. Formabant altam de ea ideam... Sed hac re *non impediebantur, quominus aliis temporibus et in aliis cogitationum scriebus persequendis frena darent observationi liberiori* et sincerae, et, agnoscendo facta, veram eorum historiam in theoria magis simplici et naturali exponerent ». Similiter alii.

Cuius assertionis p. 45-7 has septem addit probationes : Prima usque ad tertiam effert Papiam, Lucam, Fragmentum Muratorianum referre, scriptores qui de facto inspirati erant, scripta sua ita composuisse, ut fontes humanos adhiberent. Quarta usque ad septimam in mentem revocat, Origenem, Eusebium, forte Hieronymum, alium auctorem non reiecisse mendum scriptionis saltem materialis Mt 27, 9. Quo loco evangelista prophetiam a Zacharia emissam Ieremiae attribuit.

R. *Quoad obiectiones 1-3 e Luca, Papia, Fragmento Muratoriano :* 1) Ut obiectio valeret ostendi deberet, secundum eos priscos auctores inter se componi non posse haec duo: esse inspiratum, et scribere secundum fontes etc. At qui ita obiiciunt, *ne nituntur quidem hanc probationem instituere.* — 2) Si ratio adversariorum valeret, *posteriores quoque Patres dicendi essent inspirationem negasse.* Etenim ipsi quoque eadem facta Lucae etc. referunt. Iamvero quoad eos talis difficultas non proponitur. — 3) Priusquam denique statuitur, Patres si unum et aliud simul affirmabant, *sibi contradixisse,* saltem argumentatio pro tali assertione proponi deberet. At generatim ne hoc quidem fit. — Qui vero inspirationem defendunt *utrumque simul stare posse* in doctrina de essentia inspirationis *data opera probant.*

Quoad obi. 4-7 e Mt 27, 9. — Aliud est cum dubitatione quadam aliquod factum tradere, aliud aliquo modo ancipitem haerere vel etiam errare in quaestione, num hoc vel illud, quod obiective ex ipso facto fluit, cum eo componi possit, necne. Talis haesitatio vel error non necessario est signum facti non admissi, sed potest esse signum non perceptae alicuius conclusionis quae utique obiective ex facto fluit. Ita dicta eorum Patrum de errore in scriptione saltem materiali S. Matthaei deberent explicari — si id edicerent, quod

referre dicuntur. Alia enim explicatio componi nequit cum firmitate omni exceptione maiore, qua asserunt tum inspirationem Scripturae generice sumptae, tum inspirationem omnium et singularum sententiarum. Num testimonia hunc sensum revera fundant videbimus, quando de inerrantia agetur. — Caeterum Patres qui hic adducuntur pauci sunt, qui inspirationem affirmabant et simul inerrantiam plurimi.

Propositio III. — Scripturam habere Deum auctorem idque mediante inspiratione, probatur e consensu theologorum.

259. — Eadem est argumentationis ratio, eadem eius vis atque pro argumento Patrum in thesi prima posuimus. Unde hac thesi nihil aliud facimus quam ut testimonia ordinatim proferamus. — Cur eos theologos eligamus, quos hac thesi afferimus, v. n. 209 p. 94-5.

260. — Si quis plura de sententia theologorum desiderat, adeat Pesch sequentibus numeris marginalibus.

Cassiodorius 142
Hisidorus Hispalensis . . 143
S. Beda Venerabilis . . . 144-5
Agobardus 146-7
Rabanus Maurus 148-51
Eucherius Lugdunensis . . 152
Angelomus Luxoviensis. . 153
Odo Cluniacensis 154
Hugo Victorinus 155
Bruno Astensis. 156
Alexander Halensis . . . 157
S. Bonaventura. 158-60
Duns Scotus. 161-2
Rogerus Bacon. 163-5
Nicolaus Lyranus. . . . 166-7
B. Albertus Magnus. . . 168
S. Thomas Aquinas . . . 169-78
Franciscus Suarez. . . . 290-2
Cornelius a Lapide . . . 293
Marchini 294-9
Alii theologi. 299
Durandus. 179
Raimundus Martini . . . 180
Henricus Gandavensis . . 181-8
Aegidius Romanus . . . 189
Richardus Armachanus . . 190-5
Petrus de Alliaco. . . . 196
Ioannes Gersonius. . . . 197-9
Thomas Waldensis . . . 200-3
Dionysius Carthusianus. . 204-7
Melchior Canus. 277
Dominicus Bañez 278-9
Billuart 280
Zanecchia. 281
Gregorius de Valentia . . 282
Lessius 283-7
Estius 287
Bellarminus 288-9
Franzelin. 300-1
Kleutgen 302
Franciscus Schmid . . . 303-6
Crets 307-8

SCHOLASTICI

Alexander Halensis.

261. — Alexandri Halensis, Summa theologica qu. 1 membr. 4 a. 3 (ed. Venet. 1576 fol. 3 b) Resolutio quaestionis de multiplici sensu Scripturae haec est: « Dicendum, quod modus sacrae Scripturae multiformis debet esse: et hoc triplici ratione. Prima est *ratio efficientiae, id est Spiritus Sancti*, qui est (sicut dicitur Sap. 7) Spiritus intelligentiae multiplex unus ». « Ab omni alia scientia sacra Scriptura ideo distincta est, quia doctrina Scripturae divinitus inspirata »; « haec Scriptura seu doctrina tradita (est) a Spiritu Sancto », ib. membr. 2 fol. 2 a.

S. Bonaventura.

262. — Secundum S. Bonaventuram multiplicitas sensuum Scripturae « competit etiam principio (ob principium) a quo est, quia *est a Deo per Christum et Spiritum Sanctum loquentem per ora prophetarum et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt.* » — Perfectissimae auctoritatis est Scriptura, quia « *Spiritus Sanctus, eius auctor perfectissimus*, nihil poterat dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum ». Breviloquium, Prologus § 4 et § 5 (ed. Ad Claras Aquas v. 5, 206-7).

B. Albertus Magnus.

263. — B. Alberto Magno v. g. evangelii Ioannis « *efficiens causa prima sapientia divina* est se in Verbo increato Ioanni manifestans et in Verbo incarnato Ioannem erudiens et *movens ad scribendum*.... Causa vero efficiens proxima exterius est Ioannes.... Sic ergo haec Scriptura *ex interno auctore est authentica* et ex exteriori est fidelis ». Opera omnia XXIV Enarratio in Ioannem, Prologus (ed. Paris 1899) 7 et 8.

S. Thomas.

264. — S. Thomas ut principium deductionum suarum quoad diversa, quae de Sacra Scriptura tradit, hoc habet: « *Auctor principalis Sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus*... qui in uno verbo

Sacrae Scripturae intellexit multo plura, quam per expositores Sacrae Scripturae exponantur vel discernantur; nec est etiam inconveniens, quod *homo qui fuit auctor instrumentalis Sacrae Scripturae* in uno verbo plura intelligeret ». Quodl. 7 a. 14 ad 5. — « Nam aliae scientiae sunt per rationem humanam *editae*, haec autem *Scriptura per instinctum inspirationis divinae* ». Prooem. Comment. in Psalm. (ed. Rom. 1570) 1. — Unde etiam saepius ita se exprimit: « Scripturae enim divinae *a Spiritu Sancto traditae* non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur ». De potentia q. 4 a. 1 in corpore circa initium. — Vel etiam simpliciter habet: « Auctor Scripturae est Spiritus Sanctus ». Quodl. 7 a. 16 in corpore.

In prooem. vero ad Psalmos explicat hanc rem ita: « Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines... Ideo lingua hominis se habet in Scriptura Sacra sicut lingua pueri dicentis verba, quae alius ministrat, Psalm. 42, 2: Lingua mea calamus, et 2 Reg. 23, 2 Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam ». Opera (ed. Romae 1570) 13, 1.

Henricus Gandavenis.

265. — Henricus Gandavensis († c. 1293) fusius caeteris Scholasticis eius aetatis de inspiratione Scripturae egit in Summa, art. 8-11 praecipue vero art. 9, ed. Ferrariensis 1646 p. 150-190 praecipue 174-181. In cuius art. qu. 1 n. 9 p. 175 contra Manichaeos haec statuit: « Firmiter ergo credendum est *ab illo esse conscriptum et editum Vetus Testamentum, a quo et Novum* ». *Non homines debere dici auctores principales* horum librorum sed Deum solum probat q. 2 praecipue e testimoniis ep. 2 Petri et S. Augustini. Declarat rem ita: « Deus igitur principalis et solus vere est auctor huius scientiae, licet per hominem sit descripta, ut possit quoad hoc homo dici auctor eius secundarius et ministerialis ».

Rogerus Bacon.

266. — Rogerus Bacon († 1294), textum Scripturae in oppositione ad alios textus quos praelegebant doctores medii aevi vocat: « textum de ore Dei et sanctorum allatum mundo ». Unde aliquando Scripturam modo brevissimo et aptissimo nominat, scilicet « textum Dei ».

Durandus a Sancto Porciano.

266bis. — Durandus a Sancto Porciano O. P. († 1332), Praefatio in ll. 4 sent. ed. Venetiis 1686 fol. 1: « *Sacra Scriptura excellit* omnes alias scientias *celsitudine* dignitatis et *auctoritatis, quam habet a principio originali*, quia est immediate inspirata a Deo. Sicut namque est in corporibus, sic suo modo in spiritualibus. In *corporibus autem illa quae immediate fuerunt a Deo facta, quandam praerogativam habuerunt*, sicut dicit Chrysostomus de vino, in quod Christus convertit aquam in nuptiis. Ergo inter scientias et Scripturas, quae ad spiritualem perfectionem animae pertinent, *sacra Scriptura, quae immediate a Deo est inspirata*, quandam praerogativam dignitatis obtinet quia est emanatio quaedam claritatis Dei sincera ». Citat Augustinum, secundum quem S. Scriptura « super omnes omnium gentium litteras, omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subiecit ». Addit Durandus: « et hoc habet ex eo, quia immediate a Deo inspirata est » — Quare finis Scripturae est, ut ad coelum perducamur « Quae enim *ex altiori principio* derivantur, ad altiorem finem ordinantur ». — Quae auctoritas in eo est, quod « *quaecumque in Sacra Scriptura traduntur*, aut solum aut principaliter *divina revelatione tenentur;* quod sunt « *audita a Deo* » ideoque « certiora et veriora his, quae sciuntur et videntur a nobis in lumine creaturae rationalis ». fol. 1, b.

Nicolaus Lyranus.

267. — Nicolaus Lyranus O. S. F. († 1340), Postilla, Prologus 1, Op. ed. Venet. 1588, I, fol. 3 b.: « Principalis huius libri auctor est Deus... et ideo speciale est huic libro, quod res significatae per voces aliud significent ».

Richardus Armachanus.

268. — Richardus Armachanus (Fitzralph, episcopus Armagh in Irlandia, † 1360) in Summa de quaestionibus Armenorum, l. 1, c. 5, ed. Paris, 1511, fol. 3 haec docet: « Verum concludis de *duplici auctore Sacrae Scripturae* propheticae. Tenemus enim, omnem Scripturam propheticam *assertam a propheta esse et a Spiritu Sancto inspiratam et sic a Deo assertam* ». Spiritus Sanctus est Scripturae

« Primarius auctor », « propheta eius immediatus est auctor ». Unde duos sensus distinctos eiusdem sententiae oriri posse. L. 19 c. 19 fol. 156 b. 157 a.: « ... Ex eadem fide tenes et ex divinitate Spiritus Sancti, quod nulla contrarietas seu falsa assertio auctoritatis est in ista Scriptura primaria (in oppositione ad exemplaria totius Scripturae tunc temporis servata), quia fides affirmat, quod nulla contrarietas et falsitas est *a Spiritu Sancto asserendo Dei hominibus inspirata* ».

Gerson.

269. — Gerson († 1429). « Contra haeresim de communione laicorum sub utraque specie », ab initio principia de interpretatione Scripturae proponit. In regula 1 e 10 regulis speculativis pro expositione Sacrae Scripturae, ab initio haec habet: « ... S. Scriptura debet considerari quasi sit una propositio copulativa connectens singulas partes, et unam confirmans per alteram, elucidans et exponens; quoniam si *propositio aliqua S. Scripturae, posita assertive per auctorem suum qui est Spiritus Sanctus,* esset falsa, tota Sacrae Scripturae, sicut dicit Augustinus, vacillaret auctoritas ». Opera omnia ed. Antwerp., 1706 I col. 457.

Thomas Waldensis

270. — Thomas Waldensis († 1430). O. Carm., Doctrinalis antiquitatum fidei tom. 2. De sacram. euch., c. 37 ed. Venet. 1571, fol. 65 b.: « Taedet me vitae meae, cum audio *Scripturas sacratissimas, quas Spiritus Sanctus per se scribere dignabatur,* sic a perverso haeretico irrisas et elusas ».

Dyonisius Carthusianus.

271. — Dyonisius Carthusianus († 1471). O. Cist., doctorum medii aevi sententias complectens hortatur: « Hinc sacram Scripturam cum omni reverentia pertractemus, diligentissime legamus atque prae cunctis scientiis philosophicis et humanis appretiemur, cum ipsa sit *velut epistola nobis a Spiritu Sancto missa,* immo et ore Dei incarnati pro magna parte prolata. Propter quod, *dum studemus et legimus eam, Deus loquitur nobis* ». Quibus verbis finem imponit Prooemio in l. 1, Sentent. Opera omnia tom. 19, ed. Tornaci 1902, p. 41. Unde in Prooemio ad Psalmorum Commentaria in art. 6, De virtute Psalmorum et de modo orandi atque psallendi, haec docet:

« *Spiritus Sanctus... affectuosissima verba in Psalmis deprompsit* omnique generi hominum convenientes sermones descripsit ». Ib. tom. 5 p. 402.

NEOSCHOLASTICI.

Michael Medina.

272. — Michael Medina O. S. F., De recta in Deum fide, l. 6, ed. Venet. 1564 fol. 181 a, inter leges quibus christiana respublica regitur, primo loco tractationem de libris canonicis suscipit ea ratione ductus « quod *Deum non humanae voluntatis auctorem* » habeat haec lex credendi. L. 7, vero c. 16 probationem, qua demonstrat, solam ecclesiam hanc divinam scripturam legitime interpretari posse, ita exorditur : « *Legitimus sensus ab alio quam ab eodem, qui scripturas condidit, haberi non potest...* » Iamvero ecclesiae Spiritum Sanctum ut magistrum promissum esse.

Bañez.

273. — Dom. Bañez O. P., copiose de S. Scriptura scripsit in Schol. Commentaria in 1 Angel. doct. D. Thomae usque ad 64 qu. complectentia, Romae 1584, in qu. 1 ad art. a p. 119-174. Pag. 136 haec leguntur : « Habemus igitur conclusionem certam secundum fidem catholicam quam a sanctis patribus accepimus, et ecclesia catholica magistra et duce omnium fidelium animis indita est ». Est autem conclusio haec : « *semper Sacros Scriptores Deo inspirante scripsisse* » p. 131. Est autem inspiratio, in eo, quod Deus ad res aut revelatas aut scriptoribus « *notas scribendas excitavit et ne errarent manu tenuit* » p. 134.

Suarez.

274. — Franc. Suarez S. I., de Fide disp. 5, s. 3, 3, ed. Paris, tom. 12 p. 142. « Est Scriptura *instinctu Spiritus Sancti scripta*, dictantis non tantum sensum sed etiam verba ». Ideo est infallibilis auctoritatis quia est « *verbum Dei scriptum* », « quia, sicut non potest Deus per se ipsum mentiri, ita nec per alium ». N. S. « Sicut ergo verba, quae loquitur lingua vel quae calamus scribit, a spiritu loquentis vel scribentis dictantur, ita *verba canonici scriptoris ab Spiritu Sancto*... Si ergo Dominus narrat, ipse est, qui principaliter verba profert » n. 4, p. 143.

Theologia Wirceburgensis.

275. — Theologia Wirceb. I³ (Kilber S. I.) c. 1 art. 1: « Dico I: Scriptura Sacra in genere est *Verbum Dei scriptum* seu litteris exaratum, vel *ab ipso Deo, vel a scriba alio, Deo tamen afflante* ». Art. 2 statuitur: « Libri Scripturae Sacrae *Deum* habent *principalem auctorem* ».

Marchini.

276. — Marchini, De divinitate et canonicitate sacrorum librorum, 1777 in prooemio, ed. Migne, Script. s. Cursus completus tom. 3, col. 15, conqueritur, incredulos animo imbibisse, « Deum nunquam cum mortalibus locutum; nihil *scripto tradidisse*, quod eos alligaret ». Parte 1 c. 1 col. 17 declarat, qua ratione Scriptura divina sit: « Nempe *divinum est, quod Deum auctorem habet* ». Art. 4 § 3 col. 78 refutat Deistas, qui ex obscuritate Scripturam reprehendunt: « Non dedecent autem Deum sermones quidam obscuri ». Quod exemplo ethnicorum confirmat, qui deos suos aliquando obscura loquentes faciebant.

Franzelin.

277. — Card. Io. Bapt. Franzelin S. I., De Tradit. et Script. th. 2 p. 334 haec tradit: Scriptura est *divina « sensu strictiori ratione scriptionis, quae sit efficienter a Deo per hominem*, in quem operetur ad scribendum et in scribendo *ita, ut Deus ipse auctor libri sensu proprio huius vocabuli censeri debeat.* Haec supernaturalis et extraordinaria Dei operatio dicitur inspiratio ».

Zanecchia.

278. — D. Zanecchia O. P., Divin. inspir. p. 3 librum sacrum *divinum* esse asserit « *ratione originis vel auctoris,* quatenus scilicet ab ipso Deo est scriptus sive immediate, quemadmodum duas legis tabulas digito suo scripsit in monte Sinai, et Christus digito scripsit in terra, sive *mediante aliquo homine*, quo utitur ut instrumento ad patefaciendam mentem ac voluntatem suam aliis hominibus ». Hoc ultimo modo libros nostros esse divinos.

Pesch.

279. — Christ. Pesch, S. I. De inspiratione scripturae, n. 403 ut principium omnis ulterioris explicationis ponit hoc: *Sacrae Scripturae « Deus est causa principalis, sacer autem auctor causa instrumentalis ».*

Propositio IV. — Deum esse auctorem Scripturae idque per modum inspiratoris, probatur constitutionibus auctoritatis ecclesiasticae.

DECISIONES USQUE AD CONCILIUM FLORENTINUM.

280. — **Statuta ecclesiae antiqua** antea concilio Carthag. 4° (398) ascribebantur. Sunt vero **canones antiquiores** collecti ex quibusdam conciliis tum africanis tum aliis, quae collectio, ut videtur, post ortas controversias pelagianas et monophysiticas, at ante finem saeculi 6 facta est » (Hefele, Conciliengeschichte [2] II p. 69). Inter hos canones legitur apud Mansi Conc. coll. tom. III p. 950, quaerendum esse ab episcopo ordinando: « *Si Novi et Veteris Testamenti i. e. legis et prophetarum et apostolorum, unum eundemque credat auctorem et Deum* ».

Quod hoc canone praescribitur episcopis proponendum, id secundum **Pontificale Romanum** de facto episcopis proponebatur formula paululum mutata in hunc modum: « *Credis etiam, Novi et Veteris Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem, Deum ac Dominum omnipotentem?* »

Eadem verba suscepta sunt in symbolum fidei quod **Leo IX** saeculo 11 Petro electo patriarchae Antiocheno profitendum praescripsit (Denz. 348), porro in confessionem fidei, quam Michael Palaeologus imperator **Concilio Lugd. II** 1274 obtulit (Denz. 464).

Praecipiente **Innocentio III** (1198-1216), quando novi Manichaei, in Gallia medio aevo orti, cum ecclesia denuo coniungi cupiebant, inter alia haec profiteri debebant (Denz, 421): « Novi et Veteris Testamenti unum eundem auctorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit; Ioannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum ».

281. — Diversae ortae sunt difficultates contra argumentum, quod ex hoc statuto petitur. Unde illud diligenter proponi convenit.

Duplex autem habetur modus, quo hoc argumentum proponitur. Uno modo formatur *argumentum explicitum et directum.* Demonstratur nempe, in hoc canone terminum « *Vetus et Novum Testamentum* » *directe significare libros* utriusque Testamenti, terminum vero « *auctor* » *directe* horum librorum *conscriptorem.* — *Alio modo* argumentum nonnisi *implicitum* et *indirectum* conficitur. Scilicet permittitur (vel etiam conceditur), terminum, « Vetus et Novum Testamentum » *directe significare integram providentiae oeconomiam,* qua ante Christum vel post Christum Deus ergo homines usus fuerit, terminum vero « auctor » *directe dicere causam efficientem integrae huius oeconomiae.* Probant tamen, hac significatione ampliore horum terminorum non obstante, Deum hoc ipso statuto declarari conscriptorem librorum utriusque Testamenti. — Argumentationem priorem prius proponimus; adiungimus alteram.

Canon hic proxime dirigitur contra Manichaeos. Unde, ut melius intelligatur, prius videndum est, Manichaeorum haeresis quid in genere de Vetere (et Novo) Testamento, et praecipue quid speciatim de auctore Veteris (et Novi) Testamenti docuerit.

Exponitur doctrina Manichaeorum de auctore Scripturae.

282. — Haeresis Manichaeorum inde a primis notitiis, quas de ea habemus, nobis ita depingitur, ut explicite duas assertiones de Vetere Testamento posuerit: Primo in genere alium esse eum Deum qui omnia, quae in Veteris Testamenti libris enarrantur, creaverit, ordinaverit, alium esse eum Deum, qui fuerit Deus Christi, qui res in Novo Testamento descriptas perfecerit. Secundo, *in specie additur, alium esse eum Deum, qui sive totam collectionem librorum Veteris Testamenti sive saltem magnas eius collectionis partes conscripserit, inspiraverit, alium qui in genere collectionem librorum Novi Testamenti inspiraverit.* Deum Veteris Testamenti malum fuisse, Deum Novi Testamenti bonum esse.

Hae duae assertiones continuo in concreto inter se connectuntur. Imo sunt, qui, ut Dausch p. 88 affirment: « Antagonismus gnosticus ante omnia contra Vetus Testamentum vertebatur, proxime contra libros, et nonnisi in connexione cum ipsis contra ea quae libri continebant ».

Utriusque ergo Testamenti tum a catholicis tum ab haereticis origo supponebatur praeternaturalis. At alius ab haereticis conscriptor divinus supponebatur pro Vetere Testamento, alius pro Novo, dum ecclesia unum eundemque Deum confiteretur esse inspiratorem utriusque Testamenti, tum Novi, tum Veteris. *Unde certe ecclesia haeresi opponere debebat saltem etiam veritatem hanc:* nequaquam alium Deum conscripsisse Vetus Testamentum, alium Novum, sed *eundem Deum, scilicet unum Deum verum, conscripsisse et Vetus et Novum.*

283. — Iuverit addere quaedam exempla tum formae huius haereseos tum oppositae doctrinae Patrum.

Primas notitias de doctrina Mani nobis suppeditat **Hegemonius, Acta Archelai** ed. Charles Henry Beeson. CB tom. 16. In hoc scripto, quod quoad res Manichaeorum primarii momenti est, Mani c. 15 p. 24-5 ita loquens inducitur: « Et ut ne multa alia revolvam et spatium temporis obteram, verae doctrinæ differens tempus, haec dixisse sufficiat et ad propositum redeam, ut competenter ostendam istorum [catholicorum] absurdam esse doctrinam, nec quicquam [ex iis quae in vetere Testamento de Deo narrantur] Deo et patri domini nostri salvatoris ascribendum, sed malorum nostrorum causam accipere *Satanam:* in ipsum enim reiciendum est, quod omnia huiuscemodi mala ab ipso generentur. *Sed et ea quae in prophetis, et lege scripta sunt ipsi nihilominus [Satanae] adscribenda sunt; ipse est enim qui in prophetis tunc locutus est, plurimas eis de Deo ignorantias suggerens et temptationes et concupiscentias.* Sed et devoratorem eum sanguinis et carnis ostendunt; quae omnia ad ipsum pertinent Satanam et ad prophetas eius, quae transformare voluit in patrem Christi et *scribere pauca quaedam vera,* ut per haec etiam cetera, quae sunt falsa, crederentur. Unde bonum vobis est ex omnibus quae usque ad Ioannem scripta sunt nihil omnino suscipere, a diebus vero eius evangelizatum regnum coelorum solum amplecti; semet ipso enim inriserunt, ridicula et ludicra introducentes, exiguis quibusdam verbis in lege adumbratis, ignorantes quia malis, si admisceantur bona, malorum corruptione etiam quae bona sunt exterminantur. Et si quidem est quisquam, qui possit ostendere legem recti tenacem esse, debet custodiri; sin autem malam ostendero, interimenda est et abicienda, quippe quae mortis ministerium continet informatum, quae vultus Moysi gloriam contegens destruxit. Non est igitur sine periculo cuiquam vestrum *pariter cum lege et prophetis novum adiungere testamentum, tanquam unius sint utraque doctoris,* quippe cum renovetur de die in diem salvatoris nostri eruditio, illa vero veterascens et senescens prope exterminium fiet. Quod manifestum est his qui discretionem habere possunt; quia sicut arboris cum senuerint rami vel truncus fructum ultra non adfert, sed abscinduntur, et membra corporum, cum corrupta fuerint, amputantur; corruptionis enim virus ex membris per omne corpus infunditur, et nisi artificis diligentia remedium morbus acceperit, corpus omne vitiatur; ita ergo et recipientes legem, nisi agnoveritis cuius sit, animas cum salute perdetis ».

284. — **S. Augustinus** contra Faustum Manichaeum l. 15 c. 1 ML 42, 301-3 hanc *Fausti sententiam* proponit: « nos, ex Christi praeventione (Testamento) Novo referti, respuimus Vetus.... Haec ergo causa est, unde nos parum accipimus Testamentum Vetus: et quia *Ecclesia nostra*, sponsa Christi, pauperior quidem ei nuptia, sed diviti, contenta sit bonis mariti sui, *humilium amatorum dedignatur opes, sordent ei Testamenti Veteris et eius auctoris munera,* famaeque suae custos diligentissima *nisi sponsi sui non recipit litteras. Vestra sane Ecclesia usurpet Testamentum Vetus, quae ut lasciva virgo immemor pudoris, alieni viri et muneribus gaudet et litteris* ».

285. — **Photius,** contra Manichaeos ll. 4 l. 1 n. 8 docet, similem fuisse doctrinam eius formae Manichaeorum, qui, nunquam emortui, in Oriente inde a saeculo 7 novas vires sumebant. ML 102, 26-7: « Quin etiam sacros prophetas, *omnemque veterem Scripturam,* aliosque sanctos *aversantur,* quos fures et latrones appellant. Novum Testamentum exceptis scriptis Petri admittunt, « sed circa prophetas quidem et Vetus Testamentum, et circa caeteros viros, qui in eo effulserunt, et circa coryphaeum apostolorum (Petrum) sic illi insaniunt ».

286. — **Euthymius Zigabenus.** — Panoplia dogmatica tit. 24 cum contra Manichaeos ponit propositionem: « Vetus Testamentum, et qui in eo illustres extiterunt esse boni Dei », inter alia haec habet MG 130, 1225 D: « Si mali principii Vetus est Testamentum, cur magnus Paulus in principio Epistolae ad Romanos, praenuntiasse dicit Deum per prophetas in Scripturis suis de Filio suo facto ex semine David secundum carnem? *Si enim sunt prophetae Dei et sanctae scripturae per quas Deus pronuntiavit de Filio suo, quomodo Vetus Testamentum mali potest existimari?* » Cum vero contra eosdem adversarios probat: « unum esse Testamenti Veteris auctorem *(νομοθέτης)* et Novi, et quod invicem consona sint, non autem contraria, ut volunt Dei inimici », etiam haec argumenti gratia adducit col. 1231: « Si Mosaica et prophetica scripta a divino Spiritu profecta non sunt, cur Servator noster ex illis adversus Cleopham alterumque discipulum post resurrectionem sumit reprehensionem: O stulti etc.? »

287. — Etiam Catharorum et Waldensium, qui novi Manichaei Occidentis dici possunt, eadem erat doctrina. Quam refert **Moneta** O. P., Summa contra Catharos et Waldenses ll. 5 c. 1, l. 1. Cuius auctoris opus conscriptum est saeculo 13 († 1235), editum vero Romae 1743. Iamvero p. 2 haec de Catharis docet: « Quidam illorum duo asserunt principia sine initio et sine fine. Unum dicunt patrem Christi et Deum lucis. *Alium Deum tenebrarum....* Credunt etiam quod iste sit Deus, de quo ait Moyses Gen. c. 1, « in principio creavit Deus coelum et terram » etc. et ea de quibus habetur in Pentateucho, in libr. Iosue et Iudicum et Ruth, Regum et Paralipomenon credunt ab eo dicta et facta fuisse. Exceptis undecim Prophetis et Psalmis, et quinque libris Salamonis, *totam Scripturam Veteris Testamenti credunt ab eo esse;* quidam tamen eorum Iob recipiunt et totum Esdram, sicut praedictos Prophetas et quinque libros praenotatos ». Pagina 5 tradit, aliam partem haereticorum unum quidem aeternum principium rerum omnium

statuere, at « conveniunt cum praedictis credentes Vetus Testamentum esse a diabolo. In prophetis autem differunt dicentes, eos fuisse locutos quandoque de spiritu proprio, quandoque de spiritu maligno, quandoque de virtute Sancti Spiritus. Unde non recipiunt eos nisi ubi volunt » etc.

ARGUMENTATIO PRIOR, EXPLICITA ET DIRECTA.

288. — 1) *Novum et Vetus Testamentum his locis significat libros, quos hodie hoc nomine vocamus*, non vero ipsum foedus quod Deus cum Iudaeis vel Christianis pepigit. Cuius assertionis rationes hae sunt :

289. — a) *Ipse terminus Novum et Vetus Testamentum* temporibus iis, e quibus ii canones ad nos pervenerunt, *iam significabat* ipsam sacram Scripturam, idque frequentissime.

S. Paulus 2 Cor. 3, 14 iam ipsum scriptum de Vetere foedere vocaverat Vetus foedus. Ita generatim auctores Catholici. Cf. CORNELY, Com. in 2 Cor. ad v. p. 101.

Clemens Alex. inter alios locos v. g. Strom. l. 5 c. 13 n. 85 MG 9, 1266, ed STÄHLIN CB 15 p. 382 lin. 17-8 scribit: « etsi sine evidentibus et cogentibus probationibus per Vetus et Novum Testamentum *(διαθήκη)* praedicatur et dicitur ».

Origenes, Comment. in Io. tom. 54 habet hoc: « *τῇ καλουμένῃ παλαιᾷ πρὸς τὴν ὀνομαζομένην καινὴν διαθήκην.* » Ed DELARUE tom. 4 p. 99 in medio.

Tertullianus, Adv. Marcionem ML 2, 361 l. 4 c. 1 iam supponit hunc usum loquendi: Marcion duos deos dividens, proinde diversos, alterum « alterius instrumenti [i. e. documenti] vel, quod magis usui est dicere, Testamenti ». Cf. porro de pudic. 1; contra Praxeam c. 15 ab initio.

« Vincebat (prae caeteris nominibus) tamen hoc nomen, quod iam tempore Tertulliani tritum erat ». ZAHN, Gesch. des Neut. Kanons. I 1 1888 p. 108-9. — A Tertulliani aetate inter « Latinos tritum est ». CORNELY, Intr. I[1] n. 12 p. 21.

Cf. ulteriora in BLEEK, Einleitung in das Alte Testament § 16; CORNELY, Intr. I[1] p. 21-3; ZAHN o. c. p. 103-7.

290. — b) Expressio « Novum et Vetus Testamentum » *declaratur per illas alias expressiones : Lex, Prophetae et Apostoli.* Iamvero hae expressiones libros significant.

Si sub his tribus nominibus proxime non libros intellexerunt sed institutiones vel personas, cur omissum est foedus quod pepigit Deus in Christo nobiscum, cur ipse Christus, in quo et per quem novum foedus pepigit Deus? Cur nominantur tantum apostoli, per quos foedus novum praedicatum est?

Porro *aliunde certum est, « lex, prophetae, apostoli » eo tempore fuisse expressiones pro ipsis libris.* Cf. ZAHN l. c. p. 98-101. — Ratio nominum

horum videtur esse haec: Cum lex nominatur, contentum principale dicitur pro libris continentibus. Cum prophetae dicuntur, auctores pro libris nominantur, tum pro propheticis sensu strictiori tum pro historicis; omnes enim libri, ut diversis locis thesis primae vidimus, considerabantur ut scripti spiritu prophetico. Cum apostoli nominantur, eadem figura adhibetur. Comprehenduntur tum epistolae, uti patet, tum evangelia, quia etiam evangelia habebantur ut scripta per apostolos, sive immediate, uti ev. Mt et Io, sive mediate uti evangelia Mc et Lc, quippe cum secundum Petri vel Pauli praedicationes scripserint horumque opera apostolorum approbationem pro suis scriptis habuerint.

291. — 2) *Auctor in his canonibus significat conscriptorem.* Id quod sequitur ex assertione mox probata, Novum et Vetus Testamentum significare libros. Etenim tum in literatura classica tum in caetera literatura eius temporis auctor librorum pro conscriptore eorum dicitur.

Cf. n. 43 p. 26-7; porro loc. mox citatus ex **Aug.**, e **Gregor. M.** n. 241 p. 111; praeterea **Isidorus Hispal.**, De off. l. 1 c. 12 n. 13 ML 83, 750 Deum Scripturae auctorem dicit: « Hi sunt scriptores sacrorum librorum, divina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram praecepta coelestia dispensantes. Auctor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetas suos scribenda dictavit ». In Etymol. vero l. 6 c. 2 n. 1 ML 82, 229 homines eodem auctorum nomine vocat: « Veteris Testamenti secundum Hebraeorum traditionem hi perhibentur auctores ». Item v. g. n. 33.

292. — *Sententia proposita confirmatur auctoritate non paucorum scriptorum.* Ita Dausch p. 88 n. 288 ut probabilius. — Pignataro, o. c. App. p. 131. — Fonck, Per Kampf etc. p. 33. — Atque praecipue Theologi Concil. Vatic. Adnot. in primum Schema n. 9 II 2 Col. Lac. VII col. 522 c. 523 a.

Argumentatio altera, implicita et indirecta.

293. — Pesch n. 312 nota p. 311 argumentationi priori quam praefert, hanc aliam subiicit: « Etsi Deus auctor est non solorum librorum sed omnium institutarum Veteris et Novi Testamenti, *non ideo libri excluduntur sed includuntur. Ergo Deus etiam dicitur auctor sacrorum librorum, quo autem sensu sit eorum auctor SS. Patres unanimiter docuerunt*, dicentes Deum ut auctorem principalem scripsisse sacros libros per homines inspiratos ut auctores secundarios seu instrumenta viva et rationalia.

Unde et vetera et recentia concilia, cum libros sacros ad Deum auctorem referunt, non alio sensu hoc intellexerunt nisi quo sem-

per in traditione intellectum est. Verum igitur est ex nudis vocabulis auctoris vel inspiratoris aut nihil aut non multum colligi posse de natura inspirationis, sed ut FRANZELIN recte ait : simul collatis eiusdem doctrinae declaratione quae in christianae antiquitatis monumentis continentur, conceptus inspirationis e conceptu auctoris optime illustratur. » — Et n. 138 p. 128 : « Sive quis haec verba interpretatur immediate de Deo auctore librorum Veteris et Novi Testamenti, sive de omnibus institutis Veteris et Novi Testamenti, certe *libri comprehenduntur, quia Manichaei, Marcionitae, alii libros Veteris Testamenti, utpote a malo spiritu inspiratos, reiciebant* et solos libros Novi Testamenti Deo auctori tribuebant ».

CONCILIUM FLORENTINUM.

294. — Eugenius IV atque Concilium Florentinum in decreto pro Iacobitis haec docet : Sacrosancta Romana Ecclesia « firmissime credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum esse omnium visibilium et invisibilium creatorem... [nullam autem mali esse creaturam. Prosequitur vero :]... *Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, h. e. legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscepit et veneratur*... (Sequuntur libri canonis). *Praeterea* Manichaeorum *anathematizat insaniam* qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium ; et *alium Novi Testanenti Deum, alium Veteris esse Deum dixerunt* » (DENZ. 706-7).

295. — Iamvero hoc decreto continetur Deum esse conscriptorem librorum utriusque Testamenti.

Etenim 1) Ratio cur unus atque idem Deus utriusque Testamenti auctor sit, ex eo redditur, quo eodem Spiritu inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt. Ergo certe *ea ratio auctoris Deo attribuitur, ut aut ad loquendum aut ad scribendum inspiraverit.*

2) *Intelligitur vero inspiratio non ad loquendum, sed ad scribendum libros* utriusque Testamenti. Nam *a)* non obstat vox loquendi uti saepius diximus.

b) Aliunde patet, hoc loco « loqui » significare scriptionem Etenim *a)* Connexio idearum haec est : *Omnium* librorum utriusque Testamenti Deus est auctor, nam omnes Sanctos ad loquendum

inspiravit. Iamvero si intelligeretur inspiratio ad loquendum ore, deberent tales sermones omnium hagiographorum ut obiectum narrationis inveniri in omnibus libris. Id quod verum non est. Ubi inveniuntur sermones ore prolati auctoris libri Iob, Marci etc.? *β)* Convenit quod immediate sequitur: « quorum libros », non vero sermones ore habitos, « suscipit et veneratur ecclesia ». Inspiratio autem sine dubio proponitur ut ratio venerationis qua ecclesia inspirata suscipit.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

296. — **Lit.** Wilh. Dehm, Zur Inspirationslehre des hl. Concils von Trient, in Katholik 1868 II p. 672-82. — Gasser, in Concil. Vat., Col. Lac. VII col. 139 b-d. — A. Theiner, Acta genuina Concil. Trid., ab Angelo Massarello conscripta, I Zagabriae 1874, p. 71 sq. — Scheeben, n. 216 p. 110. — Cretş, p. 53-5. — Dausch, p. 227-30. — Pesch, n. 272-6 p. 264-9.

« Sacrosanta... Synodus... hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus *puritas ipsa evangelii* in ecclesia conservetur, quod promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster I. Ch. Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit, perspiciensque, *hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante,* quasi per manus traditae, *ad nos usque pervenerunt,* orthodoxorum Patrum exempla secuta, *omnes libros, tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas* tum ad fidem tum ad mores pertinentes, *tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas* et continua successione in ecclesia catholica conservatas, *pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur* »... « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur, *pro sacris et canonicis non susceperit,* et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit: *A. S.* ».

297. — 1) Sine scripto traditiones recensentur tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatae. Iamvero omnes libri, tam Veteris quam Novi Testamenti dicuntur pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendi et venerandi. Ergo *ipsi illi libri a Spiritu Sancto dictati sunt.*

Quae paritas a Concilio asserta cum ante definitionem quosdam e Patribus aliqua ratione offenderet, hoc dubium non tantum nihil movit maiorem partem Patrum, sed, testibus Actis, ad id inservivit, ut ea paritas etiam instantius affirmaretur. Etenim responsum est, « traditiones in eo decreto ideo connecti cum sacris litteris eo quod utraque fundamenta fidei essent atque divinitus inspiratae ». Premebatur « tam traditiones quam sacras litteras esse Dei verba ac prima fidei principia, sed solum secundaria quadam condicione inter se distincta, quod illae in codicibus scriptae permanserint, hae vero solum in cordibus ». Pallavicini, Storia del Concilio Trid. l. 6 c. 14 n. 1-3. Vers. lat. Ed. Coloniae 1719.

298. — 2) Synodus declarat se in iudicio suo de libris sacris « orthodoxorum *Patrum exempla* sequi ». Iamvero vidimus *Patres Scripturam a Deo conscriptam habere.* Ergo idem sensus est Verborum Concilii Tridentini.

299. — 3) Concilium docet « unum Deum utriusque Testamenti esse auctorem ». Quae cum docet, *tradit Deum librorum utriusque Testamenti auctorem esse.* Nam *a)* docet ideo *libros* utriusque Testamenti esse etiam ipsos *ut dictatos a Deo suscipiendos esse, quia utriusque Testamenti unus est auctor.* Ergo Deus ita utriusque Testamenti auctor esse intelligitur, ut in hoc conceptu auctoris Testamenti aut unice doceatur aut saltem vere includatur, eum utriusque Testamenti libros dictasse. *b)* Usque ad id tempus formula illa eo sensu quem diximus in Constitutionibus ecclesiae adhibebatur. Praeterea, ut in Actis habetur, Patres pro sensu huius formulae remiserunt ad Conc. Florentinum. (Cf. Card. Pallavicini, Storia del Concilio Trident. l. 6, c. 11, n. 11-5). Iamvero vidimus, in Florentino formulam eo sensu adhibitam esse, ut significet, Deum esse conscriptorem ipsorum librorum (Cf. n. 294-5 p. 133-4).

300. - **Obi. 1.** — Evidentissimum est *traditiones non posse vere dici dictatas.* Probo : dictatio est actio, quae tendit ad scriptionem sententiae dictae per alterum faciendam. Atqui eodem modo definitur dictatas esse Scripturas, eodem Traditiones. *Ergo neque Scripturae vere dicuntur dictatae.* Ergo ulterius concludendum est, tum de Traditione, tum de Scriptura nonnisi indeterminatam quandam originem divinam sub quadam figurata locutione ut credendam proponi.

R. N. ass. Ad prob. : Nego suppositum, dictationem tantum adhiberi posse aut sensu strictissimo, quo significat dictionem cum eo fine ut alius res dictas scripto excipiat, aut sensu aliquo indeterminato. Datur tertium, medium quid, ut scilicet dictatio significet

dictionem, seu eam actionem qua Deus ita aliquid hominibus communicet, ut res communicata propter eius auctoritatem credenda sit. Hic sensus vocis et revelationi extra Scripturam et ipsi Scripturae ut inspiratae communis, a Concilio Tridentino adhibetur.

301. — Explico et probo. *A)* Primo, *hic sensus* ut dictatio significet dictionem in genere, *per se possibilis est.*

Etenim Aeg. Forcellini, Totius Latinitatis Lexicon, ed. De Vit II Prati 1861 ad v. p. 704 has significationes vocis dictandi habet: 1) Lubens dico. 2) Lentius annuntio quae alius excipiat. 3) Latiore significatione sumitur pro: componere carmina etc. 4) Saepe est magistrorum proponentium pueris quid discant. 5) Praescribere, praecipere. 6-8) His numeris terminos ex iure exhibet. 9) Translate est suadere, suggerere, docere v. g.: quae natura, ratio.... dictavit.

Du Cange, Glossar. ad Scriptores Mediae et Infimae Latinitatis t. II col 88: dictare interdum = pronuntiare. Item dictatio, dictamen significat saepe aliquod scriptum in genere. Similia de aliis vocibus eiusdem derivationis docet.

O. Ritschl o. c. p. 59 nota 2 exempla affert, testimonium Spiritus Sancti revelantis a Protestantibus dictum esse dictationem Spiritus Sancti.

B. *Positive constat, a Concilio dictationem intelligi eam actionem divinam, qua Deus aut revelando idque sive externe sive interne aut inspirando auctoritatem suam interponat.* Idque tum ex iis eruitur, quae in decreto continentur, tum ex eius fine. Cf. quae in ipso argumento diximus. Sunt qui putent, Concilium ideo hunc terminum dictationis qui per se quam maxime ad Scripturam iis temporibus applicatus fuerit, etiam ad traditionem significandam transtulisse ut divinam traditionis auctoritatem erga haereticos efferret. Ita Scheeben l. c., Crets l. c.

302. — **Obi. 1.** — *Concilium Tridentinum* revera non dicit ipsam Scripturam esse dictatam a Spiritu Sancto, sed *vocem dictandi ad solam Traditionem applicat.* Id quod textus evidenter docet. Quam difficultatem obiecit Langen. Cf. Dehm l. c.

R. *Grammatice* vox dictationis in decreto isto ad solam Scripturam spectat c., *quoad sensum* non eadem perfectio de utroque revelationis fonte enuntiatur, n. Cf. expositionem.

303. — **Obi. 2.** — Decretum Tridentinum interpretari debemus secundum finem, quem Patres in eo condendo habebant. Iamvero *finis decreti erat is solus, ut doceretur: sicuti in Scripturis res fidei et morum revelatae continentur, ita res fidei et morum etiam continentur in sine scripto traditionibus.* At si hoc se ita habet, *Patres*

Scripturam tantum considerarunt eatenus, quatenus res revelatas continet. Ergo eas non considerarunt quatenus vi originis divinae sunt.

R. N. primam minorem. *Finis decreti est ostendere « quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura » sancta Synodus.* Ita ultima verba decreti. DENZ. 784. Iamvero revelationes de facto continentur ex parte in Scripturis inspiratis, ex parte in traditionibus, quae ab inspirato auctore conscriptae non sunt. Unde Synodus rem tradit ut in concreto est, scilicet revelationem tum extra Scripturam inspiratam tum in Scriptura inspirata contineri.

De facto porro finis principalis inspirationis Scripturae situs est in specialissima quadam ratione conservationis et transmissionis veritatum per se revelatarum, rerum quae propter suam intrinsecam dignitatem revelatae sunt. Unde etiam post acceptam Scripturam inspiratam semper eae veritates in ea contentae speciatim a nobis attendendae sunt, quae simul propter suam intrinsecam dignitatem revelatae sunt. Quam nobilissimam rationem transmissionis mediante inspiratione cur elegerit Deus, ipsius infinitae sapientiae relinquendum est; ecclesiae vero est, rem uti in concreto a Deo ordinata est, fideliter proponere.

CONCILIUM VATICANUM.

304. — Lit. — *Ex ipso* CONCIL. VAT.: *Primum schema* const. de doctr. cath. c. III Coll. Lac. (o. c. n. 98 p. 50) col. 508 c-d. — *Relatio de schemate* col. 86 d- 87 a. — *Adnotationes* in primum schema Const. de doctr. cath. n. 9 col. 522-3. — *Schema reformatum*, docum. n. 555 p. 1629 c-d. — *Relatio* ep. Gasser *De emendationibus* cap. II Schematis const. de fide cath. col. 138-43. — THEOD. GRANDERATH S. I., Constitutiones dogmaticae Concil. Vaticani (o. et l. c. n. 58 p. 50). — VACANT, Etudes théologiques, o. et l. c. ibid. — PESCH, n. 327-31 p. 327-332.

305. — Concil. Vat. s. 3 c. 2 DENZ. n. 1787 in c. 2, quod inscribitur « de revelatione », definivit: « Haec porro supernaturalis *revelatio* secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, *continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus*, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. *Qui quidem Novi et Veteris Testamenti libri* integri cum omnibus suis partibus, prout in Veteri vulgata latina

editione habentur, *pro sacris et canonicis suscipiendi sunt.* Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, *non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* ». Canon IV DENZ. n. 1650: « Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit ».

306. — Nexus idearum in capite de revelatione hic est:

1) *Deus duplici via cognoscitur,* primo naturali humanae rationis lumine *e rebus creatis,* secundo *per revelationem.*

2) Haec *revelatio* tum *mysteria complectitur* tum eiusmodi *veritates quae per se humanae rationi imperviae non sunt,* quas tamen revelari moralis quaedam necessitas exigebat.

3) *Haec revelatio continetur in libris* scriptis et *sine scripto traditionibus* etc., quae pars ex Concil. Tridentino desumpta est.

4) Sequitur ipsa *definitio de inspiratione* Scripturae.

307. — Differentiae inter Tridentinum et Vaticanum quoad definitionem de inspiratione Scripturae. — 1) *Omittit* Concilium Vaticanum confessionem divinae originis Scripturae *sub forma comparativa,* quam Concilium Tridentinum adhibuerat, scilicet eadem reverentia utrumque fontem revelationis esse suscipiendum, tum traditiones tum Scripturam. — Omittit quoque *sententiam* quae quibusdam magis indeterminata videri poterat, Deum *utriusque Testamenti* auctorem esse. — Omittit quoque premere, « *unum* » Deum esse auctorem utriusque Testamenti.

2) *Transsumpsit* Concil. Vat. ex anathemate Tridentini in ipsum suum decretum confessionem explicitam *libros istos pro « sacris et canonicis suscipiendos »* esse. — *Adiungit* rationem, cur isti libri ut sacri et canonici recipiendi sint, *definiens eos esse inspiratos et ut tales ecclesiae traditos.* — Atque, quod caput est, *hanc ipsam rationem inspirationis non uno modo explicat.* — Anathemati a Concilio Tridentino posito, quo excludebantur ii, qui libros pro « sacris et canonicis non susceperint », adiungit *anathema in eos qui* eam explicationem huius indolis librorum sacrorum *non admiserint,* qua definiuntur « *divinitus inspirati* ».

308. — Qua ratione Concilium indolem librorum sacrorum declaraverit. — *Primo negative declarat quid inspiratio non sit, deinde positive quid sit.* In priore parte negativa definitionis *duas sententias reicit.* Quarum *una* ad rationem libri sacri et canonici statuit *sufficere originem mere humanam libri*, qua per causalitatem mere humanam confectus fuerit, quin divina causalitas specialis, « ullus divinus afflatus » influxerit, *dummodo talis liber ab ecclesia approbatus fuerit.* — *Altera* ex his duabus sententiis reiectis docet, *haec duo elementa rationem Scripturae constituere: ut* scilicet primo *contineat* saltem ex parte *revelationes* divinas, quae sint obiectum, materia, quam scriptor exponebat, secundo *ut has revelationes sine errore enarret.* At declaratum est, haec duo elementa non sufficere.

309. — *Positive* dicitur, quid sit inspiratio, et quidem, « *quoad characterem internum,* scilicet quod (libri sacri) Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem; et deinde *quoad characterem externum*, quod ut tales ecclesiae.... traditi sunt ». Ep. Gasser Col. Lac. VII col. 141.

Ac primo quidem declaratur *character internus.* Qui duo elementa continet: 1) quod libri isti Deum habent *auctorem,* idque 2) ita ut non per se ipsum, sed *per homines eos composuerit.* Quae actio in hominem significatur nomine illo sacrato « inspirationis ».

« Haec vero scriptio divina declaratur quod 1) libri conscripti sunt *inspirante* Spiritu Sancto. Erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad ipsos libros scribendos. 2) Ex hoc ipso quod actio Spiritus Sancti referebatur ad scribendos libros per homines ad hoc opus inspiratos, ipsi libri sunt et ab Apostolo dicuntur *Scriptura divinitus inspirata.* 3) Denique actio illa inspirationis erat huiusmodi, ut Deus sit *librorum auctor seu auctor scriptionis,* ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant *scriptum verbum Dei* ». Adnot. in Schema, Col. Lat. VII 522.

310. — « Deinde *quoad characterem externum,* quod ut tales (qui Spiritu Sancto inspirante Deum habeant auctorem) Ecclesiae per apostolos traditi sint... Ergo character iste externus *debet accedere,* ut liber aliquis *habeatur* inspiratus, *et ut fide divina hoc credere teneamur* ». Rel. ep. Gasser, ib. col. 141. — Magis accurata de relatione inter conceptum libri inspirati et canonici alio in loco tractatus proponemus.

311. — Profundiora vero et ampliora de natura huius actionis inspirativae Concilium non definivit. — « Patet nimirum, quod in hoc schemate nihil novi de inspiratione dicatur et quod Deputatio plane nihil novi in specie dicere voluerit, sed liberum reliquerit scholis disputare de modo inspirationis, et, ut scholae loquuntur, de extensione inspirationis ». Ep. SIMOR in relatione de Schemate, col. 86 d.

312. — Cur et contra quos Concilium Vaticanum indolem librorum sacrorum explicaverit. — Occasio explicationis erant falsae sententiae ortae. Propositione prima negativa reprobatur ea sententia quae ab HANEBERG. (Cf. n. 104 p. 52-3) et a fortiori ea quae a IAHN exposita est (Cf. n. 103 p. 52). Propositione secunda negativa reicitur sententia, ut videtur, HOLDEN (Cf. n. 101 p. 51-2) — De doctrina LESSII non agi ostendit v. g. Rel. GASSER, Col. Lac. VII col. 140-1.

LEONIS XIII ENCYCLICA

« PROVIDENTISSIMUS ».

313. — Quae Encyclica uti n. 108-10 p. 54-5 vidimus, proxime quidem in eo est, ut doceat: 1) inspirationem ad omnes et singulas sententias extendi, non vero ad certum quoddam sententiarum genus restringi; 2) inspirationem nullum pati errorem in sententia sub inspiratione conscripta. At occasione huius duplicis doctrinae Pontifex ipsam veram inspirationem non tantum supponit, verum etiam diversis modis proponit.

314. — Deus est qui dicit (i. e. scribit) ea, quae hagiographi dicunt (i. e. scribunt). — « Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum *quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit* ». Ita n. 30. — « Deum ipsum *per sacros auctores elocutum* nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse » n. 31.

Inspirationis ea est vis, ut homines fiant instrumenta Dei ad scribendum. — « Quare nihil admodum [pro inerrantia] refert, Spiritum [aut per se ipsum solum scripsisse, aut] assumpsisse homines *tanquam instrumenta ad scribendum*, quasi, non quidem primario

auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit » n. 30.

Libri sunt « a divino afflatu » n. 31, « Spiritu Sancto **dictante** conscripti » n. 30.

Deus est sensu tam stricto auctor, conscriptor librorum, *ut in libris sacris scribendis eas partes quae auctori humano in libris exarandis propriae sunt, eas ipsas ipse Deus per hagiographos ut instrumenta sua expleverit.* Instrumenta sunt Dei ad scribendum. « Nam supernaturali ipse virtute íta eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae ».

Pro qua doctrina *textus* quidam *Patrum* quam maxime clari adducuntur, Augustini, Gregorii, Hieronymi.

Difficultates quaedam contra argumentum, quod e constitutionibus auctoritatis ecclesiasticae hausimus.

315. — Contra argumentum e definitionibus conciliaribus, quod etiam Card. Franzelin formaverat, diversa obicit Ferd. Prat S. I. in art. Récentes publications exégétiques en Allemagne, in Études 1903 tom. 93 p. 556-70. Litterae maiusculae ab auctore, litterae vero italicae a nobis positae sunt.

« Le savant cardinal appuie principalement sa formule sur cinq définitions conciliaires. Seulement il glisse sur le mot le plus important, comme aussi le plus contraire à sa théorie. Sa formule vient originairement du quatrième Concile de Carthage et est dirigée contre les Manichéens : Credimus etiam novi et veteris Testamenti. Legis et Prophetarum et Apostolorum, UNUM esse AUCTOREM Deum. *L'emphase est sur le unum.* L'Ancien Testament n'est pas dû au principe mauvais, comme l'affirment les Manichéens : Les deux Testaments ont un seul auteur, Dieu. Cela est exprimé plus clairement encore dans la profession de foi imposée aux Vaudois, ces Manichéens du moyen-âge : Novi et veteris Testamenti UNUM EUNDEM auctorem esse Dominum credimus. Le Concile de Florence retient aussi le UNUM ATQUE EUNDEM : un seul et même auteur. Le Concile de Trente dans une phrase incidente, reprend la formule de Carthage : Cum utriusque unus Deus sit auctor. Quand donc le concile du Vatican omet ce mot unus, il est probable qu'il faut le sous-entendre. En tout cas, dans le texte : Propterea quod Spiritu Sancto conscripti (libri Veteris et Novi Testamenti) Deum habent auctorem, *il est fort douteux, pour ne rien dire de plus, que le mot auteur signifie écrivain, plutôt que cause ou garant.*

« En résumé, la formule : Deus est auctor Scripturae, bien que juste et vraie dans ses trois sens différents, nous semble offrir plusieurs désavan-

tages : 1° elle est équivoque ; 2° elle fait reposer une thèse capitale sur un *sens figuré du mot auctor ;* 3° *elle ne s'établit pas sans quelques artifices,* comme est celui de négliger dans les textes le mot principal ».

Quidam magis in genere insistere videntur in eo, quod *Deus in istis Constitutionibus ecclesiasticis dicitur auctor Testamenti.* Testamentum autem significat *oeconomiam salutis,* quae multas institutiones complectitur. Quarum omnium si dicitur Deus auctor certe tali termino universali affirmari non videtur, Deum esse sensu specialissimo auctorem, qui ad rationem conscriptoris alicuius libri requiritur.

Responsum ea singula fere sequitur, quae allata sunt.

316. — R. 1) Quoad omissionm vocis « unus ». — Sive in formula explicite effertur, Deum unum esse auctorem Veteris et Novi Testamenti sive hoc subintelligitur sive etiam non attenditur, *hoc nullo modo afficit argumentum nostrum.*

Etenim si definitur, Deum unum esse auctorem non tantum Novi verum etiam Veteris Testamenti, certe non ea sola veritas proponitur, non existere nisi unum Deum, verum etiam illa alia, Deum illum unicum verum, esse auctorem non tantum Novi verum etiam Veteris Testamenti.

Unde haec *vox « unus »* primo *nullo modo contraria est theoriae* Franzelin. — Secundo non ob aliam causam videtur omissa esse in argumentatione eius theologi, quam quia evidens videbatur, eam pro argumento indifferentem esse. — Tertio *Concilium Vaticanum* hanc vocem ob hanc causam omisisse videtur : *Non iam agebatur contra Manichaeos,* qui pro utroque Testamento inspirationem quidem vere talem concedebant, diversis autem subiectis inspirantibus eam attribuebant. Sed res iam erat cum iis adversariis, qui ipsam naturam actionis inspirandi pervertebant. Manichaeos vere concessisse Scripturam Veteris Testamenti esse vere epistolas, litteras Dei cuiusdam v. n. 282-7 p. 129-31. Adversarios e contra, quos Concilium Vaticanum damnavit, affirmasse in Scripturis esse quidem sermones de Deo, non autem esse eas in se ipsis litteras, epistolam Dei v. n. 101-4 p. 51-3. — Potuisset utique etiam *Concilium Tridentinum* iam hanc vocem « unum » omittere, cum neque ipsum contra Manichaeos definitionem suam dirigeret. At cum in eo Concilio non de explicanda inspiratione ageretur, sed tantum de facto iterum proponendo, idque magis per incidens, maluerunt Patres formulam antiquam repetere quam novam, inquisitione quadam praemissa, statuere. Qui procedendi modus sub similibus conditionibus saepe in Conciliis servatus est.

317. — 2) Terminus « auctor » saltem e circumstantiis contraheretur ad significationem causae principalis ipsius scriptionis libri, etsi in definitione Concilii Vaticani proxime significaret causam in genere.

Suppone interim, vocem auctoris non posse simpliciter significare conscriptorem, neque usum iam ferre, ut libri auctor etiam sine addito subito iam intelligatur pro conscriptore. Suppone hanc vocem tantum significare causam in genere. Etiam in hac suppositione idem definitum esset, quod nunc definitum est. Etenim Deus exhiberetur per vocem electam a Concilio — sive ea directe dicit conscriptorem sive directe causam significat — ut causa ipsius scriptionis libri. Nam causa libri primo optime *potest* significare eum qui librum conficit, qui scriptionis causa est, i. e. qui causa est eius actus, quo quis signis scriptis mentem suam alteri manifestat. Imo haec significatio ex natura rei quasi se obtrudere videtur. — Porro theologi in declaratione schematis data opera explicarunt, quo sensu ea vox intelligeretur quam Concilium de relatione Dei ad Scripturam adhibet. Explicarunt autem hanc vocem ut expressionem conceptus causae scriptionis libri idque « ita, ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti ». Cf. n. 309 p. 139.

318. — 3) **« Auctor » in definitione concilii non habet significationem fideiussoris.** — Vox auctor inter alia utique etiam significare potest fideiussorem, vadem. At haec significatio non sufficit ad explicandam mentem Concilii Vaticani definientis, Deum esse auctorem Scripturae. Id quod habetur ex universa traditione, quae Scripturam exhibet ut procedentem ex operatione praeternaturali Dei in hominem scribentem. Quam operationem theologi Vaticani in explicatione definitionis Patribus ante ipsam definitionem proposita l. c. omnino premunt.

319. — 4) **Unde in formula: Scriptura Deum habet auctorem, vox « auctor » non est aequivoca** secundum receptum in ecclesia modum loquendi, sed omnino determinata. Sola vox auctoris separatim sumpta plura utique significare potest. — Simile quid in multis aliis definitionibus Conciliorum obtinet.

320. — 5) **Cum auctor significat conscriptorem, sensus non est figuratus,** sed unus ex ordinariis, propriis. Videtur hic usus quam maxime connaturalis. Etenim et ex etymologia et ex usu auctor praecipue causam efficientem significat. Quid autem est aliud conscriptor libri, quam qui eum efficiendo producit?

321. — 6) **Deus exhibetur causa efficiens sive sola sive principalis oeconomiae integrae.** — Ad hanc oeconomiam v. g. pertinet lex. Ergo erit causa efficiens legis, ergo legislator. Ad hanc oeconomiam, ut erat omnium persuasio, pertinent etiam libri ab eodem illo Ente superiore conscripti, qui alias oeconomiae partes condidit. Ergo verus Deus etiam libros istos vere conscripsit.

PROPOSITIO V. — Deum esse auctorem Scripturae idque per modum inspiratoris, probatur ex doctrina apostolorum et Christi in Scripturis contenta.

322. — Sub qua formalitate Scripturam in hoc argumento consideremus. — Diximus n. 70 p. 38, cum inspirationem Scripturae ex Scriptura demonstramus, eam non considerari in quantum est inspirata, sed in quantum fideliter veritatem revelatam refert. — Consideramus hac thesi doctrinam quae a Christo et apostolis proposita est. *Christum* in omnibus suis doctrinis revelationem divinam nobis detulisse, probatum est in theologia fundamentali. — Apostolorum vero doctrina duplici modo considerari potest, uno modo in quantum est *doctrina corporis apostolorum,* alio modo in quantum est *doctrina etiam unius apostoli solius.* Iamvero corpus apostolorum in veritatibus religiosis infallibile esse constat e verbis Christi, v. g. Mt. 28, 20. Etiam singulos apostolos in quantum veritatem religiosam proponebant, dono personali infallibilitatis instructos fuisse, in tractatu de ecclesia ut magistra veritatis e traditione probatum est.

323. — Quomodo testimonia Christi et apostolorum ad universam Scripturam extendantur. — Supponitur probatum in introductione in S. Scripturam temporibus Christi et apostolorum exstitisse inter Iudaeos *collectionem librorum,* quos speciali unitate comprehendebant sub nomine *ἡ γραφή* vel *αἱ γραφαί* vel *τὰ ἱερὰ γράμματα* vel similibus. Nomen hoc Scripturae aliquando singulis locis vel libris vel partibus, generatim toti collectioni dabant. Iamvero ex verbis Christi et apostolorum directe tantum hoc sequitur, eos inspiratas habuisse eas partes librorum, eos libros, eam integram collectionem, quam nomine Scripturae insigniunt. In introductione in S. Scripturam porro ostenditur eas citationes locorum singulorum quas nunc in sermonibus vel scriptis Domini et apostolorum habemus nobis exhibere partem magnam Veteris Testamenti et ex Novo saltem quasdam epistolas Pauli. Totum autem Vetus Testamentum et totum Novum saltem ante mortem apostolorum Ecclesiae traditum esse ut eiusdem dignitatis libros, diversis aliis modis in eadem introductione probatur.

PARS I. — **Argumentum indirectum. Ex modo quo Dominus et apostoli Scripturam citant.**

324. — Lit. – Cf. FRANZELIN th. II, 2 p. 338-40. — CRETS p. 70-1. — ZANECCHIA p. 39-40. — CHAUVIN p. 124-5. — BILLOT p. 26-7. — CORNELY, Comp. 6 Appendix de div. S. Script. inspir. p. 2. — PESCH n. 383-4 p. 388-9. — Auctores argumentum his fere formis exhibere solent:

325. — A. Deus exhibetur ut is qui Scripturam per hominem elocutus est. Agitur proxime de revelationibus divinis nuntiatis. — V. g. Matthaeus Verbum Dei: « ex Aegypto vocavi filium meum », quod propheta scripsit, citat 2, 15 ut « *dictum a Domino per prophetam* dicentem ». Patet prophetae dictionem poni hic loco scriptionis. Quam etiam forma praesentis insinuat.

Act. 1, 16 Petrus caeteros apostolos his verbis alloquitur: « Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam *praedixit Spiritus Sanctus per os David* de Iuda ».

326. — B. Imo aliquando Deus dicitur elocutus esse ipsas partes Scripturae in quibus narrationes hagiographorum de Deo loquente vel agente, exhortationes ipsorum hagiographorum etc. continentur: Act. 4, 25: « qui *Spiritu Sancto per os patris nostri* David pueri tui *dixisti: quare fremuerunt gentes...* » Etiam hic os scriptionem significat.

Hebr. 4, 3-7 S. Paulus diversos locos Veteris Testamenti colligit qui Deum in tertia persona loquentem exhibent vel de eo aliquid faciente sub forma narrativa agunt. Nihilominus affirmat, Deum haec dixisse.

Est autem textus hic: « *Dixit* enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem; iterum *terminat* diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra ».

Dicit quidem S. Paulus tantum hoc: *εἴρηκεν, ὁρίζει ἐν Δαυείδ* quin addat subiectum grammaticale. At nullum habetur aliud subiectum quod e contextu suppleatur, quam « Deus ». Deinde in hac re conveniunt auctores catholici. Imo generatim etiam acatholici idem admittunt. E quibus cf. v. g.

Bernard Weiss, Der Brief an die Hebräer, Göttingen 1897 ad v. p. 114-9. V. g. de particula *εἴρηκεν γάρ που* ait p. 117 : « Etsi locus de ipso Deo agit, tamen ut aliquod verbum Dei cogitatus est, quippe qui ubique in Scriptura loquatur et solus auctori dare potuerit, ut talia de se (Deo) eloqueretur ».

Clarissime 3, 7 : « Quapropter *sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem eius* (Dei) *audieritis* nolite obdurare corda vestra... » Quae sunt verba Psalmistae.

327. — C. Homo qua scribens exhibetur loquens in Spiritu Sancto. — Ita Dominus Mt. 22, 43 : « Quomodo ergo *David in Spiritu vocat* eum (Christum) Dominum, dicens [utique in psalmo, in Scriptura]: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis ».

328. — D. Scriptura ponitur loco Dei scribentis. — Gal. 3, 8 : « *Providens Scriptura praenuntiavit* Abrahae; quia benedicentur in te omnes gentes. « Providens ponitur loco Praevidens ». Cf. Act. 2, 31.

Cornely ad l. Gal. 3, 8 : « Figura porro, qua Scriptura providisse... et praenuntiasse dicitur, non est mera prosopopeia, ut moderni multi tenent, sed metonymia, ita ut ex hoc loco ad divinam Scripturae originem legitime concludamus ; cum Origene enim Patres et antiquiores interpretes recte monent, Scripturam hic esse nominatam pro auctore Deo ».

329. — E. Deus aliquando inducitur ut in praesenti loquens in Scriptura etiam nunc, velut dirigens ad lectores Scripturae ea, quae in alia occasione historica primo ad alios dicta erant. — Id quod confirmat, secundum sacros auctores Deum esse non tantum eum, qui aliquando, v. g. prophetis suis, quasdam revelationes dederit, sed eum, qui forma scripta, permanente, ad Scripturae lectores conceptus suos continuo dirigat. — Ita Paulus Hebr. 10, 15 : « *Contestatur* autem *nos* et Spiritus Sanctus: Hodie si vocem eius audieritis ». Qua ratione etiam explicare solent illud Domini Mt. 22, 31 : « De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente *(ὑηθέν) vobis:* « Ego sum Deus Abraham ». « Verba illa vocantur, dicta *vobis*, quia Sacra Scriptura non est solum liber narrationum rerum gestarum, sed est verbum Dei loquentis per Scriptorem ad omnes, ut omnes erudiantur et doceantur et ad omnem virtutem admoneantur ». Knabenbauer ad l. 1903² p. 260.

Pars II. — Argumenta directa.

2 Petr. 1, 20-1.

330. — **Lit.** — Praecipue Ludwig Ioseph Hundhausen, Das zweite Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1878, pp. 482 p. 227-45. — Carl Friedrich Keil, Commentar über die Briefe des Petrus und Iudas, Leipzig 1883 p. 233-9. — Henry Alford, The Greek Testament IV London 1894 p. 398-401. — Charles Bigg, Epistles of St. Peter and St. Iude, Edinburg 1902 p. 267-71 (The International Critical Commentary). — Pesch n. 386 p. 390-1. — Crets p. 72-5.

Narrat S. Petrus se vidisse gloriam Christi in eius transfiguratione, audivisse etiam vocem delapsam de coelo : « ipsum audite ». Pergit 19-21 : « et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris ; hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines ». — Sunt quidem non pauca in hoc textu, de quibus explicandis auctores non eadem sentiunt. At ab his nostram explicationem non dependere ex expositione patebit. — *Duplicem* propono *auctorum explicationem.*

Expositio prior.

331. — Vaticinia de Messia eiusque regno in Scriptura contenta influxui Spiritus Sancti debentur, eaque in quantum in Scriptura deposita sunt. Idem influxus Spiritus Sancti in scribendo ad alias partes Scripturae, imo in genere ad universam Scripturam extendendus est. — Probo per singula.

332. — 1) « **Propheticus sermo** » « **omnis prophetia Scripturae** » **a S. Petro dicitur hic omnis praedictio de Christo eiusque regno in Vetere Testamento proposita.** — Cuius explicationis rationes hae sunt: Agitur eo loco de motivis credibilitatis. Iamvero prophetia est motivum credibilitatis in quantum est praedictio, non in quantum generice est sermo nomine Dei prolatus. — Accedit auctoritas haud paucorum exegetarum atque praecipue Concilii Vaticani s. 3 c. 3 (Denz. 1790). — Non utique affirmatur, eum terminum ad sola vaticinia coarctari debere.

2) **Hae prophetiae debentur influxui Spiritus Sancti.** — *Πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται* secundum quosdam iam immediate hunc sensum fundit: « nulla prophetia originem habet ex propria prophetae interpretatione de rebus futuris » i. e. ex ea interpretatione rerum futurarum, quam ille homo qui propheta est, ex humanis suis viribus hauriret. Rationes v. evolutas v. g. apud HUNDHAUSEN l. c. — At etsi putas, sensum immediatum hunc esse: « nulla prophetia ab audientibus ad libitum vel viribus mere sibi relictis explicanda est », tamen indirecte sequitur idem sensus quem antea statuimus. Ideo enim interpretatio prophetiae humanitus fieri nequit, quia *ipsa prophetia interpretanda humanitus facta non est.*

333. — Ratio vero cur prophetia secundum sapientiam humanam explicanda non sit, seu — in priore explicatione — causa ontologica, cur ipsa prophetia non sit interpretatio humana rerum futurarum, haec est: *οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπων ἠνέχθη προφητεία ποτέ, ἀλλὰ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν θεοῦ ἄνθρωποι* ».

« *Voluntas humana* » *est operatio ex humanis principiis procedens, atque opponitur actioni praeternaturali divinae.* Idem significat atque: a semetipso, propria auctoritate, in oppositione ad locutionem a Deo procedentem. Cf. Io. 11, 51 de Caipha. « Hoc autem a semetipso non dixit, sed prophetavit ». — Ierem. 23, 26, ubi ratio pseudo prophetarum esse dicitur *ἐν τῷ προφητεύειν αὐτοὺς τὰ θελήματα τῆς καρδίας αὐτῶν.* (Vulg.: « seductiones cordis sui »). Cf. etiam Io. 1, 13.

Item *φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου* significat « *influxum passi (in prophetando) a Spiritu Sancto* ». Comparatur forte homo navi, quae aliquando non in remigio et propria activitate principium motus sui habet, sed, cum tempestate acta et mota sit, ex solo vento motum suum repetit. Cf. Act. 27, 15, 17; vel Flavius Iosephus Antiq. l. 4 c. 6 n. 5, ubi de Balaam dicit: « *τῷ θείῳ πνεύματι κεκινημένος* ». Unde secundum sensum recte Vulg. vertit « inspirati » i. e. afflatu Dei moti.

Deum esse principium locutionis prophetarum lectio non spernenda: « *ἐλάλησαν ἀπὸ θεοῦ* » etiam clarius exprimere videtur. — Influxum extraordinarium indicare videtur ipsum quoque *nomen*, quod prophetis inditur: « *Dei homines* ». Quo nomine vocatur Moses cum praedicit sortes filiorum Israel (Deut. 33, 1); Timotheus, in quantum munus divinum habet. I Tim. 6-11; 2 Tim. 3, 17.

334. — 3) **Hunc influxum divinum prophetae passi sunt in quantum vaticinia sua in sacris libris scripto consignabant,** non

vero tantum, quando res futuras praecognoscebant, vel mea pace simul etiam quando rem praecognitam ore forte suo proferebant idque sine ordine ad scriptionem. Etenim

a) haec est *communis* theologorum et interpretum *sententia*. Quae exprimitur in ipso Concilio Florentino in Bulla « Cantate Domino » (Denz. 706).

b) Rationes vero *internas,* quas auctores afferunt, ita fere evolvi posse videntur: Cum S. Petrus dicit: « locuti sunt sancti Dei homines » per se et in abstracto tantum triplex explicatio possibilis est. Aut S. Petrus dicit, prophetas actos fuisse a Spiritu Sancto cum prophetias ore eloquerentur, idque sine respectu ad scribendum, eos autem postea proprio Marte has prophetias, elocutione inspirata prolatas, litteris consignasse. Aut dicit, eos prophetias et elocutione inspirata protulisse et simul ita scripsisse ut ad ipsam scriptionem a Deo moti fuerint. Aut dicit, abstrahendo num et qua ratione prophetias etiam ore elocuti sint, eos prophetias saltem ut inspiratos scripsisse. Iamvero hoc ultimum dicendum est. Nam apud S. Petrum hoc loco illud: « *locuti* sunt sancti Dei homines » *supponit pro* « *scripserunt* sancti Dei homines ».

α) Generatim locutio prophetarum Sancto Petro est idem atque locutio scripto facta. Ita Act. 1, 16, 17: « Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioel: « Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo... » — Act. 1, 25, 31: « David dicit in eum (Christum): Providebam Dominum etc. Propheta igitur cum esset, providens locutus est de resurrectione Christi ». — Act. 4, 25: « Qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David, pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes... » — Congruit quoque modus loquendi aliorum hagiographorum, Domini nostri, Iudaeorum eius temporis. Ergo certe nihil obstat significationi « scripserunt », imo haec iam ex locis parallelis commendatur.

β) Hanc significationem postulant ipsae expressiones huius loci, de quo agimus. Nam primo Christiani iubentur « attendere prophetico sermoni ». Iamvero *e natura rei non poterant attendere nisi huic sermoni ut scripto.* Etenim eum non habebant sub alia forma. — Deinde S. Petrus *loquitur de omni prophetia Scripturae,* i. e. quae in Scriptura est ». — Idem indicat *forma praesens* « *habemus* » nunc (in Scripturis) propheticum sermonem.

Ergo S. Petrus loquitur de locutione Prophetarum quam scri-

bendo perfecerunt. Iamvero docet eos Spiritu Sancto actos locutos esse. Ergo Spiritu Sancto acti scripserunt.

Ea autem est haec motio Spiritus Sancti, ut ipse fiat causa principalis scriptionis, homo vero solum sit causa eius instrumentalis. Nam quoniam « Petrus negative excludit lubitum hominis, et positive adstruit impulsum et excitationem divinam veluti causam prophetici sermonis, Scriptura, quae est illius operationis terminus, attribuenda est non auctori humano, causae subiugi, verum Spiritui S. seu Deo tanquam causae principi: est proprie verbum Dei scriptum ». CRETS p. 74.

Deinde idem ex modo eruitur quo S. Petrus verba prophetarum citat. Cf. quae antea diximus.

335. — 4) **S. Petri assertio non est restringenda ad libros qui speciatim dicuntur prophetici.** — Nam locis n. 3 citatis S. Petrus ea quoque vaticinia ut scripta ad Spiritum Sanctum reducit, quae e Psalmis deprompta sunt.

336. — 5) **Denique assertio S. Petri intelligenda est de omnibus libris sacris.** — Id quod ex eo eruendum est, quod et e Scriptura et e Traditione scimus, e mente apostolorum omnibus libris Scripturae eandem dignitatem ratione originis esse ascribendam.

Secunda expositio.

337. — Haec paulo aliter procedit: « Omnis prophetia Scripturae » immediate significat in genere sententias in Scriptura contentas ut in ea contentas. Iamvero S. Petrus dicit eas esse a Spiritu Sancto allatas. Ergo tota Scriptura a Spiritu Sancto conscripta est.

Quam expositionem ita habet DE SAN, De Divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903 n. 261 p. 220-1. « In hoc loco 1) *sermo propheticus* sumitur pro ipsis libris scriptis prophetarum, uti patet — tum a) ex eo quod sermo propheticus ibi appellatur *prophetia Scripturae,* — tum b) ex eo quod ibi agitur de sermone prophetico sub forma permanente, uti indicant haec verba temporis praesentis: *habemus, bene facitis attendentes.*

2) Nomine autem *prophetarum* veniunt sensu generico omnes qui ex divina inspiratione aliquid agunt vel loquuntur vel scribunt, uti patet, — tum a) ex usu iudaeorum quem ex Philone supra demonstravimus, — tum b) ex eo quod sub hac notione generica ipse apostolus Petrus in ultima parte textus explicat quid

sit propheta, — tum c) ex eo quod in textu agitur de prophetia Scripturae quatenus per eam Christi et evangelii mysteria confirmantur, ea autem confirmantur non solum prophetiis stricte sumptis, sed etiam oraculis quae sunt in libris Moysis et in libris historicis et moralibus. — His suppositis, manifestum est asseri in loco citato omnem omnino Scripturam esse divinitus inspiratam — tum a) quia idipsum diserte asseritur, — tum b) quia excluditur a Scriptura auctor humanus ».

Expositione data exclusae videntur *difficultates* contrà vim demonstrandi textus. Ita v. g. S. P. in Revue Thomiste tom. 17, 1909 p. 111 ita habet: Inter textus qui pro inspiratione ad scribendum citari solent: « plusieurs ne s'appliquent pas précisément a l'inspiration donnée pour *écrire*. Tel est, par exemple, le texte si souvent cité de la seconde épître de saint Pierre, I, 20-21 ». Imprimit deinde litteris italicis vocem *parlé* (locutus est), quam S. Petrus adhibet.

2 Tim. 3, 14-17.

338. — Lit. — Franzelin p. 340-2. — Pesch n. 385 p. 390. — Crets p. 76-9. — Io. Ev. Belser, Die Briefe des Apostels Paulus an Timotheus u. Titus, Freiburgi, B. 1907 p. 201-5. — Henry Alford, The Greek Testament III London 1894 p. 395-8. — I. A. Van Steenkiste, Comm. in omnes S. Pauli epistolas, Brugis[6] II 1899 p. 389-92. — G. Wohlenberg, Die Pastoralbriefe 1906 Leipzig p. 310-3 (Kommentar zum Neuen Testament, her. v. Zahn XIII).

S. Paulus hortatur Timotheum: « Tu vero permane in iis quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris et quia ab infantia sacras litteras ([τὰ ?] *ἱερὰ γράμματα*) nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu ». Deinde reddit rationem cur Timotheus praecipue Scripturis sacris in hac institutione uti debeat. « Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia (*πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ* ».

339. — Sacrae litterae significant sacros libros Iudaeorum. — Etenim sermo est de talibus libris sacris, quos Timotheus a matre Iudaea didicerat. Atque haec significatio statuenda est, sive cum Tischendorf, ed. 8 maior, omittis articulum, sive cum aliis ut Belser l. c. putas, articulum sufficientia testimonia critica habere. Etenim si adest articulus, directe et proxime significantur ii ipsi libri sacri, quos Timotheus adhibuit. Si deest articulus, proxime

quidem significari videtur genus doctrinae religiosae quod continetur in libris sacris, in oppositione ad aliud genus quod immediate antea nominatum erat, scilicet ad traditionem oralem. At etiam in hoc casu ex circumstantiis patet, hoc genus librorum sacrorum realisatum supponi in solis istis libris sacris quibus usus esse supponitur Timotheus.

340. — Hae sacrae litterae dicuntur inspiratae. — Etenim in inciso hoc: « omnis Scriptura inspirata » terminus « inspirata » aut est attributum aut est praedicatum. Si est attributum saltem totus terminus complexus « omnis Scriptura inspirata » supponit pro eadem notione, quae antea dicta est « sacrae litterae »; ergo sacrae litterae referuntur adiecta aliqua magis accurata determinatione, quod scilicet sunt inspiratae. — Si est praedicatum, tunc iam terminus « omnis Scriptura » notionem repetit, quae antea dicta est « sacrae litterae » atque haec ipsa omnis Scriptura inspirata esse praedicatur.

341. — Inspiratae vero dicuntur sacrae litterae quia Deus eas conscripsit ut causa principalis, homo ut instrumentalis. — Nam

a) « inspiratus » significationem passivam habet, atque si de termino effecto sermo est, significat « a Deo immissus, vel Dei afflatu ortus ». — Cf. probationem huius asserti n. 46-52 p. 27-30. Adde v. g. PLUTARCH. de plac. phil. 5, 2: *ὀνείρους θεοπνεύστους;* PSEUDO-PHOKILIDES 121: *τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος.*

b) Ergo ipsa Scriptura dicitur Dei afflatu orta. Iamvero Scriptura sunt ipsi libri scripti.

c) Quam stricto sensu autem haec enuntiatio S. Pauli intelligenda sit, patet ex ipsis citationibus S. Pauli. Etenim ut vidimus n. 326-9 p. 145-6 iis Deum ut ipsarum sententiarum qua scriptarum causam principalem exhibet, hominem ut instrumentalem.

PROPOSITIO VI. — Origo divina Scripturae confirmatur persuasionibus Iudaeorum, Schismaticorum atque Haereticorum, quam maxime vero moribus ecclesiae catholicae.

Iudaei.

Lit. — Cf. n. 108 p. 86. — V. etiam indicem in SCHÜRER III, sub v. Schriften, Schriftgelehrte.

Doctrina.

342. — In genere omnes Iudaei idem sentiebant quod Catholici. — Nam Apostoli et Patres ecclesiae supponunt eandem esse Iudaeorum fidem de inspiratione Scripturae atque Christianorum. Etenim inter doctrinas, in quibus Iudaei a veritate Christiana dissentiebant, ipsa divinitas Scripturae nunquam numeratur. Id quod difficile intelligitur nisi supposita fidei in hac re unitate. — Imo ORIGENES qui in sententiis de rebus scripturisticis perscrutandis tantopere excellet, data opera de Iudaeis atque Christianis hoc habet c. Cels. l. 5 c. 60 MG 11, 1275 ed. KOETSCHAU CB 3, 63 : « dicemus, in confesso esse apud utrosque, biblia divino Spiritu fuisse scripta, de illorum autem interpretatione nos cum Iudaeis dissentire ».

343. — Hellenistae Scriptores Philo atque Flavius Iosephus aliquando quidem quaedam falsa v. g. de modo influxus divini inspirativi in hagiographum statuunt. Ipsam autem divinam originem Scripturarum haud obscure tradunt.

344. — Philo. — 1) Data opera *edicit, omnia quae a Mose conscripta sunt (etiam historica) esse oracula divina.* Vita Mosis II (III) c. 23 n. 188 ed. Cohn et Wendland tom. 4 p. 244 lin. 9-10 : « *οὐκ ἀγνοῶ μὲν οὖν, ὡς πάντ' εἰσὶ χρησμοί, ὅσα ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγέγραπται, χρησθέντες δι' αὐτοῦ* (i. e. per Mosen).

2) Vidimus n. 57 p. 32 Philonem prophetas habere ut « interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea, quae vult ». Iamvero hanc *notionem prophetae applicat ad hagiographos ut scribentes.* Ita vita Mosis l. 3 ed. Mangey p. 527 notitiam historicam de Kain ut effatum divinum effert.

3) Cum quo cohaeret, quod *omnia et singula in ipsis vocibus ut res maximi momenti* habet. Adducunt v. g. de fuga c. 10 n. 54 : « *σαφῶς εἰδὼς ὅτι περιττὸν ὄνομα οὐδὲν τίθησιν* (Moses) ».

4) Convenit quod *omnia etiam historica allegorice explicat.* — Ita v. g. fata Ioseph, de Iosepho l. 2 n. 46. Talem sensum allegoricum etiam ab auctore humano esse scitum et intentum, at specialissimo modo a Deo. Imo huic exegeseos principio innititur liber Philonis inter omnes celeberrimus : *Νόμων ἱερῶν ἀλληγορίαι.*

5) Quam stricto sensu libros sacros *uti scriptos a Deo derivet,* etiam inde patet, quod Philoni *LXX erant ἱεροφάνται καὶ προφῆται.* Cf. de Vita Mosis l. 2 § 5 n. 29 sq. ed. C. et W. tom. 4 p. 206.

6) Eius idea de ipsa scriptione divinitus facta ex eo eruitur quod *sibi scribenti inspirationem saepius adfuisse* testatur. De se ipso ut inspirato

narrat: « divino raptu furens nullatenus neque locum cognoscebam neque praesentes, neque meipsum neque quae dicebam neque quae scribebam ». De migr. Abrah. § 7 n. 34 sq. C. et W. II 275.

345. — Iosephus Flavius ex una parte statuit, rationem prophetae comprehendere impulsum divinum ad loquendum; ex alia parte censet, omnes hagiographos in scribendo prophetas fuisse. Utrumque paucis videamus.

Facit Balaam loquentem ad Balac: « *Numquid* omnino censes et opinaris, *in nostra potestate* esse de talibus rebus *loqui aut silere,* quando nos corripit Dei spiritus? » Ergo secundum Iosephum ipse impulsus ad loquendum in Balaam a Deo erat. Iamvero videtur in hac descriptione rationem prophetae simpliciter exhibere voluisse. Nam primo ait: « Quomodo mihi irasci poteris? Non enim a nobis prophetis dependet.... » Deinde cum haec verba Balaam, in Scriptura non inventa, Iosephus ex suo addiderit, videtur iis verbis eam notionem prophetae explicare velle, quam habebat ipse.

Iamvero omnes Scriptores librorum istorum quos Hebraei sacros putabant, habebat ut prophetas. « Apud nos, inquit, non cuivis licet historiam scribere, sed prophetis tantum, qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione (*κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ*) didicerunt. Non multa millia apud nos sunt librorum discordantium et pugnantium sed duo tantum supra viginti libri totius temporis descriptionem continentes, quibus merito fidem habemus. Et horum quinque quidem sunt Moysis, qui et leges complectuntur et historiam generis humani ab ortu usque ad interitum eius. Hoc tempus modice deficit a tribus milibus annorum. Ab obitu autem Moysis usque ad Artaxerxem, qui post Xerxem rex Persarum fuit, prophetae Moysi succedentes suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserunt.

Reliqui quatuor libri hymnos ad Deum et vitae praecepta hominibus data continent. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram aetatem omnia quidem scripta sunt, neque vero eadem fide digna habentur atque priora, quia minus manifesta fuit successio prophetarum. « Ideo quidam libri minus fide digni dicuntur, quia minus certa erat origo eorum a prophetis ».

346. — 2) Omnia in libris inventa videntur ei divinae esse sententiae.

« Cum enim tot saecula iam praeterierint, nemo ausus est quidquam iis addere neque demere neque mutare, sed omnibus Iudaeis inde a prima pueritia statim innatum est *credere ea Dei praecepta* (*δόγματα*) *esse,* et iis adhaerere et, si opus est, pro iis libenter mori. Multi enim ex captivis iam saepe visi sunt tormenta et varia mortis genera in theatris sustinere, ne quidquam admitterent contra leges et posteriores Scripturas. Quis Graecorum tale aliquid subiret, imo vel minimum quidem laedi sufferret licet omnia ab illis scripta interitus pericula adeant? Quippe illa narrationes esse existimant propere effusas prout allubesceret scriptoribus ».

347. — Talmudistae. — Praecipue extollebant divinam originem Pentateuchi. « Qui affirmat, *Thora* non esse a *coelo*, non habet partem in mundo futuro ». Sanhedrin 10, 1. — « Etsi quis diceret integram Thora esse a coelo, affirmaret vero, *vel unum versum non esse prolatum a Sancto* (Deo), sed a Mose secundum eius arbitrium, de eo valet: contempsit verbum Aeterni ». Sanhedrin 99 a. — Inter se convertuntur in citationibus: « *Scriptura dicit* » et « *Deus* plenus misericordiae *dicit* ». Eadem origo caeteris quoque « sacris Scripturis » attribuitur. V. g. inscriptio Psalmi « Le-David mismor » ita declaratur: Schechina requievisse supra David, tunc elocutum eum esse Psalmum. Pesachim 117 a. — Affirmatur etiam librum Koheleth « inquinare manus » (Cf. mox dicenda) Cur? « aestimarunt, etiam Koheleth prolatum esse per Spiritum Sanctum ». Edaioth V 3.

Mores.

348. — Tota vita privata atque publica regebatur Scripturarum fide, observatione, explicatione. — Non pauci *sensum quadruplicem* admittebant. — Eorum aliqualem *restitutionem* per Esdram ut miraculosam, eorum *versionem* per LXX ut propheticam celebrabant. — In earum explicatione fere omnes *litterae* versabantur. — Quae explicationes dicebantur Midrasch. Midrasch vero aut habebat eam formam quae dicitur Halacha, aut eam quae Hagadda vocatur. Illa directe ad vitam practicam spectabat. — Ob explicationem et applicationem Sacrae Scripturae proprius status eorum, qui « *scribae* » (homines literati) vocabantur, maximo in honore erat. — Ipsi *pueri in scholis* elementaribus fere circa solam legem exercebantur.

349. — Cultum publicum quod attinet, volumina sacra in synagogis et templo *sancte custodiebantur*. — In *lectione* et *explicatione* Scripturarum magna pars cultus consistebat. Ne leviter tangerentur, statutum erat, ut qui eos tangeret « *manus inquinaret* », i. e. impuritatem legalem contraheret. — *Miles Romanus* qui volumen legis discerpserat, a procuratore romano Ventidio Cumano *mortis damnari* debebat. — Alexandrini *in gratam versionis LXX* memoriam quotannis Sacrum *diem festum* agebant simili ratione atque festos Tabernaculorum dies.

Schismatici atque haeretici.

350. — Confirmatio quae ex doctrina schismaticorum atque haereticorum hauritur, in eo est, quod persuasionis eorum rectae de inspiratione Scripturae nulla alia ratio reddi potest, quam *eos eam ex ecclesia catholica secum tulisse.* Patet hoc argumentum non destrui, etsi multi praecipue e Protestantibus hanc catholicam doctrinam postea deformarunt, sive peccarunt excessu in divino influxu admittendo sive defectu.

351. — **Schismaticorum** sensum sufficienter ostendunt ea, quae n. 285-6 p. 130 ex Photio, Euthymio attulimus. Nulla porro orta est difficultas ex hoc capite, quando in Conciliis Lugdunensi et Florentino de unione Graecorum cum ecclesia Romana agebatur. Etiam recentioribus temporibus v. eandem doctrinam traditam v. gr. a *Χρηστὸς Ἀνδρούτσος, Δογματικὴ τῆς Ὀρθοδόξου Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Ἐν Ἀθήναις* 1907, 402 p. 3-8.

352. — **Protestantes** primis temporibus postquam ab ecclesia se separaverunt divinam Scripturarum originem admisisse expositum v. n. 122-43 p. 63-9.

Mores ecclesiae catholicae.

353. — **Lit.** In genere Pesch n. 389-94 p. 394-400 — Opera introductoria in S. Scripturam. — Speciatim quoad martyres Pesch n. 392-3 p. 397-400. — Quoad cultum Bona, Rer. liturg. l. 2 c. 7 III ed. 1753 p. 145-65.

Fides omnium catholicorum quae fuerit abunde patet ex doctrina Patrum, Theologorum, pastorum ecclesiae quam tradidimus. Impossibile enim est, ob ecclesiae unitatem in fide atque indefectibilitatem fidem ovium dissentire a praedicatione pastorum.

Unde hic tantum in eo sumus, ut quam firma fuerit haec tum pastorum tum gregis fides diversis morum practicis indiciis illustremus. Quae utique ultimam suam explicationem accipiant necesse est ex ipsa fide catholica e qua profecta sunt.

354. — **A. Apparet diligentissimum studium intelligendi, meditandi, applicandi ad se verba S. Scripturae.** — 1) Maxima erat *cura ipsius textus* S. Scripturae propagandi et conservandi. Quae praecipue eminebat tempore Eusebii Caesariensis, S. Hieronymi, porro saeculo 16 et 17 in laboribus scientificis circa textum Vulgatae, in studiis criticis horum temporum. Cuius operis manuscripta, editiones, eam excitarunt curam quam libri Scripturae?

2) Fere sola ea scripta quae ut inspirata habebantur, *in publica liturgia* legebantur. Si quando permittebatur ut alia legerentur, exceptiones erant. Contra lectionem praecipue publicam eorum librorum, qui Scripturae inspiratae imitationem prae se ferebant, severa decreta condebantur.

3) *Forma ordinaria praedicationis* per longa tempora praecipue sita erat in ipsa Scripturae explicatione. Quod quam maxime de tempore Patrum valet. Quorum homiliae aliaeque in S. Scripturam explicationes maximam partem literaturae theologicae constituunt.

4) *Patres* valde *insistebant sensui etiam mystico vel typico.* Hunc autem saepe ex eo derivabant, quod Spiritus Sanctus esset ipsius Scripturae auctor.

5) Plurima conscripta sunt, ut *inerrantia* S. Scripturae ex eius auctore principali derivata, contra haereses *defenderetur.* Cogita v. g. de iis, quae decursu saeculorum de inerrantia Veteris Testamenti contra sectas manichaeas scripta sunt.

6) Ipsa *ars christiana*, a primis catacumbarum ornamentis usque ad ea, quae in arte maxime perfecta habentur, praecipue iis factis pingendis, sculpendis, versibus exprimendis occupabatur, quae in sacra Scriptura narrantur.

355. — Signa cultus religiosi, qui verbo Dei scripto deferebatur, speciali consideratione digna sunt.

1) Potius moriendum sibi putabant quum ut sacrum textum traderent. De qua re Martyrum acta referunt. « *Traditores* » librorum, qui mortis timori cedentes, libros sacros ut conburerentur tradiderunt, ceteris *abominationi* erant. — Non raro super ipsum pectus partes Scripturae portabant.

2) Iis utebantur in *miraculis patrandis.*

3) *Cultus publicus* specialis iis concessus erat. Concil. Constant. IV (Denz. 337) declarat dignum esse ut imagines adorentur « aeque ut Sanctorum sacer evangeliorum liber atque typus pretiosae crucis ». Unde eum osculamur, stantes cum praelegi audimus, si cantatur lumina praeferimus.

Propositio VII. — Quaedam recentiorum theoriae de ortu persuasionis de inspiratione Sacrae Scripturae indicantur atque reiciuntur.

356. — Vidimus n. 242-7 p. 111-3, qua ratione persuasio firmissima de inspiratione Sacrae Scripturae orta sit: per doctrinam Christi et apostolorum. Unde iam constat, falsas esse omnes rationes, quibus adversarii huius dogmatis, pro methodo quam in indaganda philosophia religionis et historia eiusdem hodie multi adhibent, originem naturalem huius persuasionis de inspiratione librorum sacrorum explicare student.

Nihilominus ad cognoscendam eam levitatem, qua adversarii contra dogma tanti momenti agere solent, iuverit breviter aliquas e talibus falsis explicationis rationibus seu aliquas tales theorias falsas considerare.

Prius proponemus eas theorias, quae explicant, qua ratione idea de inspiratione Veteris Testamenti apud Iudaeos orta sit; deinde eas, quae in originem persuasionis de inspiratione praecipue Novi Testamenti penes Christianos inquirunt.

Refutationem autem ita instituemus: non ad singulas theorias singulasque earum rationes respondebimus, sed postquam diversas theorias exposuimus, prius quaedam falsa supposita vel asserta refutabimus, quae pluribus communia sunt; deinde ad quaedam, quae huic vel illi propria sunt, consideranda convertimur. Omnia autem potius breviter absolvemus.

Expositio theoriarum falsarum.

ORIGO IDEAE DE INSPIRATIONE VETERIS TESTAMENTI APUD IUDAEOS.

357. — **Hase,** Dogm. § 196-7 statuit: Initio regnavit idea, toti antiquitati communis, inspirationem esse quoddam *ingenium religiosum, quod inerrantiam* rerum dictarum vel scriptarum *non includebat.* At paulatim cognitio *manticae inspirationis* in oraculis Graecorum atque *doctrinae Platonis* de sacra insania novam ideam excitavit de dictatione librorum. Haec idea tunc *ad libros sacros applicabatur, quando iam nullum prophetieum ingenium conspiciebatur* atque Scripturae completae erant. Apud Denzinger II p. 165.

358. — **R. Hagenbach,** Lehrbuch der Dogmengeschichte 1888 § 32 p. 56 affirmat, persuasionem de inspiratione apud Iudaeos tum firmam factam

fuisse, quando vivus prophetiae fons apud illos scatere desierat. Non tamen hanc formationem fuisse *dependentem ab ideis manticis ethnicorum*. Elementa utique manticae in ea inveniri alii dicunt.

359. — **I. I. P. Valleton** jr. in: Chantepie de la Saussaye, Lehrbuch der Religionsgeschichte I 1905 Tübingen in parte: Die Israeliten p. 384-467 fidem de ipsa scriptione divina legis per Deum mediante homine, *ne studet quidem explicare*, quamvis certe partem tanti momenti religionis Israelitarum formet.

360. — **Wolf Wilhelm Graf Baudissin,** Einleitung in die Bücher des Alten Testamentes, Leipzig 1901 § 11-6, Der Kanon des Alten Testamentes p. 31-42 nihil aliud habet, quam quod « *per evolutionem paulatim factam et liberam* certus quidam numerus librorum indolem Scriptorum sacrorum nactus erat » p. 41. — P. 39, 40 quasdam rationes repetit ex *antiquitate scripti,* quod scilicet saltem tempore exilii compositum sit, ex *sanctitate historiae in iis narratae.*

361. — **Auguste Sabatier,** Les Religions d'autorité et la religion de l'esprit[4] Paris 190... statuit p. 281-2 : fuisse tempus, in quo regnaverit in Israel idea inspirationis cuiusdam propheticae, quae vires humanas extulerit, infallibilitate autem eas non donaverit. Aliquando Deum etiam iussisse ut quaedam revelationes scriberentur; « mais il n'est jamais question, dans cette affaire de rédaction et d'écriture, d'une assistance divine particulière. Plus tard seulement, quand la génialité religieuse des prophètes fut éteinte, et que la grande époque littéraire fut close, on eut une vénération religieuse pour la lettre des livres saints, et alors aussi chez les juifs, *par oubli et inintelligence de ce qu' était l' inspiration prophétique,* se forma la croyance que le texte hébraique tout entier, et, chez les Hellénistes, celui de la traduction des LXX était l'oeuvre même de Dieu, la dictée de son Esprit. La dogmatique de l'école *allait remplacer la libre poésie du premier âge. De l'une à l'autre la théorie platonicienne de l' enthousiasme et de la divine folie a fait la transition.* Philon l' applique sans scrupule à l' état prophétique. La conscience humaine disparaît quand surgit celle de Dieu. Philon se félicite d'avoir eu, lui aussi, de ces moments de divine extase! A certaines dignités comme à celle du grand prêtre était attaché le don d'une inspiration inconsciente. L' interprétation allégorique alors partout en usage, est la preuve de la croyance générale à l' inspiration des écrits sacrés. Mais c'était aussi un ingénieux moyen pour l'esprit des temps nouveaux de réserver sa liberté et d' échapper à la tyrannie de la lettre qui aurait arrêté toute initiative et tout progrès. L'exégèse en ce temps-là sauva la liberté philosophique ».

362. — **Wilhelm Bousset,** Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter[2] 1906 Berlin c. 5 Der Kanon p. 173 putat momentum, quod « proprie impellebat et rem evincebat, fuisse *usum scriptorum in Synagoga* ». P. 166 recurrit ad « nomen scriptoris magis venerandum atque aetatem maiorem » librorum ut ad criteria quae adhibita esse videantur.

363. — **Emil Schürer** II[4] § 251 1907 p. 365-72 : « *Agnitio originis divinae legis* [Mosaicae] *id secum ferebat* ut mox *origo quoque divina libri* qui hanc

legem continebat, agnosceretur. Haec idea certe iam sat longo tempore ante originem nostrae aerae (christianae) omnes occupabat ». Sequuntur citationes. *Paulatim etiam caeteros libros* eandem auctoritativam dignitatem assecutos esse. Omnes iisdem formulis citari. Affirmat utique caeteros libros *thora Mosis* numquam plene pares habitos fuisse. At ipse solutionem quoque dat, scilicet hanc inaequalitatem consideratam fuisse sub ratione rei contentae, non vero scriptionis. Nempe Thora primo manifestasse voluntatem Dei, caeteros libros eandem secure transmisisse. Erant quidem usque ad saeculum 1 quaedam dubitationes quoad Canticum Canticorum et Koheleth, at haec erat res applicationis, non vero ideae. Idem de differentia inter extensionem canonis Palaestinensis et Alexandrini dicendum est.

ORIGO IDEAE DE INSPIRATIONE PRAECIPUE NOVI TESTAMENTI APUD CHRISTIANOS.

364. — **Ferdinand Christian Baur,** Vorlesungen über die christliche Dogmengeschichte I 1 1865 intra p. 376-92 doctrinam « de Scriptura et Inspiratione » tractat. Ac primo quidem, cur Christiani eandem fidem atque Iudaei in inspirationem Veteris Testamenti assumebant? Quia *solummodo hac suppositione facta recte poterant tantum pondus attribuere tum impletioni prophetiarum Messianicarum Veteris Testamenti, tum interpretationi allegorico-mysticae;* quia praeterea doctores ecclesiae utebantur versione LXX, quam *Iudaei inspiratam habebant.*

Cur vero inspirationem ad Novum Testamentum extendebant? N. 383 : « Quod ad Novum Testamentum attinet, *usus quo simul ponebant prophetas et apostolos, sua sponte* (von selbst) ad id ducere debebat, ut eundem conceptum inspirationis etiam ad scripta Novi Testamenti applicarent ».

Non dubitabant, quin *donum propheticum a Iudaeis etiam ad Christianos transierit,* uti dicit IUSTINUS Dial. cum Tryphone c. 82, postquam Apocalypsim Ioannis nominaverat. Necesse ergo erat, ut etiam in scriptis Apostolorum eadem qualitas divina supponeretur, quae scriptis prophetarum attribuebatur. Credimus sermoni divino, dicit relate ad hoc Iustinus l. c. c. 119, prouti et apostoli Christi denuo eam elocuti sunt et prophetae eam nobis enuntiarunt. Eodem modo Theophilus ad Autol. 3, 12 scripta prophetarum et evangelia componit : « de iustitia quam mandat lex, eadem dicunt Scripta prophetarum et evangelia *διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἑνὶ πνεύματι θεοῦ λελαληκέναι;* et, sicuti (Theophilus) hac eadem expressione *πνευματοφόροι* 2, 9 significat prophetas, ita 2, 22 diserte Ioannem, adducens prima verba eius evangelii, in classi ipsorum *πνευματοφόροι* ponit. Uno verbo : etiam relate ad scripta Novi Testamenti brevi tempore factum est dogma et communis doctrina ecclesiae, ea esse inspirata per divinum spiritum » p. 386. — Brevius IDEM similia proponit in Lehrbuch der christl. Dogmengeschichte 1847 § 19 p. 81.

365. — **Auguste Sabatier,** in opere iam citato n. 361 p. 159. Les Religions d'autorité et la religion de l'esprit[4] 190... Paris p. 283-5 hanc originem ideae de inspiratione Novi Testamenti tradit. Initio quidem omnes

Christianos fuisse inspiratos. Unde *aequales nihil proprii aut sublime invenisse in inspiratione scriptorum apostolicorum.* Neque eos fallibilitatem humanam eius generis inspiratione exclusam putasse. At uti pergit p. 285 : « tout change dès le milieu du second siècle. A mesure que les documents du christianisme primitif entraient en *usage pour la lecture publique dans le culte, à côté des livres de l'Ancien Testament,* on les classait dans la même catégorie et on leur appliquait la même conception philonienne de l' inspiration. On voit reparaître pour eux, pour les écrits des prophètes les images de la lyre ou de la cithare que l'archet céleste, le *Logos* divin fait chanter à la gloire de Dieu. On ne saurait imaginer une annihilation plus complète de l' individualité humaine, et les théopneustes modernes n'ont jamais rien imaginé de mieux ».

366. — Uberius elementa quibus talis evolutio debeatur **Harnack** exponit in Dogmengeschichte[4] I p. 372-89, praecipue inde a p. 385.

Praemittit, iam circa a. 120 libros Novi Testamenti collectionem quandam formasse, at ante a. 150 nondum extitisse persuasionem, hos libros vel saltem unum vel alium ex illis fuisse inspiratos (p. 374). Haec ergo persuasio quomodo orta est ?

I. *In his libris inveniebantur dicta Christi et verba prophetica* (i. e. prophetarum Novi Testamenti). Ergo partes quaedam horum scriptorum semper auctoritatem habuerant.

II. Testimonium apostolorum habitum est auctoritativum, etiam eo tempore quo nondum erat scriptum ; ergo *connaturale erat eandem auctoritatem ad ea transferri, quae apostoli scripto reliquerant.*

III. *Marcion in formando canone librorum sacrorum praeiverat.*

IV. Exegesis haereticorum (dubia omnis generis) magno in numero suscitaverat, praecipue relate ad ea, quae S. Paulus docebat. *Quo momento talia scripta declarabantur inspirata, omnes difficultates evanescebant.*

V. *Saeculo secundo pietas reflexa enthusiasmo successit.* Eiusmodi vero pietas ex natura sua ita comparata est, ut *ex una parte normas appetat*, ex alia parte tales normas ita *exaggeret, ut* eas ipsas plane *singulares* esse proclamet, quibus *nihil aequale posterioribus temporibus* haberi possit. Iamvero nullae aliae normae in oculis eorum hominum talem dignitatem singularem habere poterant, nisi scripta apostolica. Apostolorum enim proprium erat, quod plenitudinem Spiritus possederant. Ex qua persuasione connaturaliter ea sequebatur, in apostolis revelationem fuisse completam, ideoque novos prophetas, v. g. Montanistas, spernendos esse. Quia iis temporibus hanc consequentiam doctrinae de plenitudine Spiritus in apostolis excogitaverunt, ideo ea ipsa doctrina ea aetate multum commodum ecclesiae afferebat, atque ob eam causam sedulo ab ea fovebatur. Ita « *S. Spiritus et apostoli formabantur in conceptus inter se correspondentes* ».

At quid sciebatur de apostolis ut personis ? Nihil. Ideo « *S. Spiritus et apostoli qua scriptores librorum Novi Testamenti in conceptus inter se relatos formabantur*».

367. — **Reinhold Seeberg,** Lehrbuch der Dogmengeschichte I[2] 1908 Leipzig p. 293-4 modo simili, clariore tamen quam Harnack, originem doc-

trinae de inspiratione Novi Testamenti describit: « Limites Novi Testamenti ad finem saeculi secundi non erant clarius circumscripti quam initio illius saeculi. Pro eo quod auctoritatem horum Scriptorum ut decretoriam introducebant, usus invocari poterat. Iamvero *modus specialis oppositionis ad Gnosticismum,* id secum ferebat, ut origini horum librorum magnum momentum ascriberent, idque non tam ideo, quia ab apostolis profecti erant, quam *ideo quia e tempore primitivo ecclesiae repeti poterant; et quia verum evangelium continebant.* Ideo Irenaeus tantopere premit, quid dixerint seniores....

Quod nunc etiam inspiratio directe de iis enuntiabatur, non erat nisi *consequentia quaedam ex illo valore quem Scriptis Novi Testamenti attribuebant.* Capi potest, ex hac re sensim perventum esse ad id, ut limites canonis magis accurate determinarentur. Id quod relative novum erat, proxime tantum in eo situm erat, ut cum plena conscientia et quasi e lege reflexe cognita (aus Princip) canonem considerarent ut id quod residuum erat ex Christianismo primitivo, ut normam et fundamentum doctrinae ecclesiae...

Profectus qui per hoc fiebat, tantum tunc intelligi potest, si recordamur, *cum inspiratione simul acceptam esse omnem eam rationem, qua Iudaei Sacram litteram (hl. Buchstaben) considerabant.* Notio inspirationis obvia erat in Hellenismo, non multum apud eos habebat ponderis (cf. v. g. Plato). Iamvero *cum hac notione hellenistica (inspirationis) coniungebatur iudicium Iudaeorum de canone ut norma fixa.* Ex his duabus radicibus notio dogmatica verbi inspirati bibliae orta est: verba libri inspirati ea sunt, quae qua talia norma absoluta sint. Accedit tertio loco alia consideratio. *Norma est quaerenda in eo quod priscum est* et primum, seu inde ab initio: in Mose et prophetis, in Christo et iis, qui eius erant testes ex visu vel ex auditu. Et in hac re rationes contentae erant propter quas canon paulatim fixos reciperet limites... ».

Refutatio theoriarum falsarum.

368. — Prius quaedam falsa refutamus quae omnibus aut pluribus theoriis falsis communes sunt; deinde quaedam consideramus, quae uni vel alii theoriae propria sunt.

1) *Theoriae illae* quotquot sunt, *ne inquirunt quidem, num ea causa persuasionis de inspiratione Scripturae, quam Catholici unicam esse, imo forte esse potuisse, statuunt, locum habuerit necne,* sed sine ulla inquisitione eam non influxisse supponunt. Id quod certe scientificae methodo quam maxime contradicit.

Secundum Catholicos causa persuasionis de inspiratione sacrorum librorum in populo iudaico vel christiano ea est, quod Deus *inspirationem per revelationem testatus est* (abstrahimus a quaestione, num accesserit etiam conscientia recta hominis inspirati referentis inspirationem ut factum internum).

Deinde per testimonia fide digna, quae divinis sigillis i. e. motivis credibilitatis munita erant, haec revelatio ad populum tum Israeliticum tum Christianum delata est atque ita per fidem in revelationem persuasio de inspiratione scripturae in eo radices egit. Iamvero theoriae quas attulimus ne dignantur quidem inquirere, num forte talis locutio Dei (atque interna conscientia) locum habuerit atque per testes fide dignos probata fuerit.

369. — Quae agendi ratio adversariorum aut supponit, revelationem de inspiratione (et conscientiam veram de influxu supernaturali) locum habere non posse; aut assumit, saltem nullam probationem de tali facto haberi, quae vel minima consideratione digna sit; aut forte etiam in utraque suppositione simul sumpta fundatur. Attamen prior illa suppositio tantum ideo assumi potest, quia aut inspiratio impossibilis habetur, aut omnis revelatio repugnare putatur, aut saltem revelatio de inspiratione ex specialibus rationibus impossibilis habetur. *Ubi autem probatum est, talia impossibilia esse?* Influxisse vero suppositionem de impossibilitate omnis influxus praeternaturalis in aliquas e theoriis propositas, ideo recte concludi videtur, quia quosdam earum auctores rationalistica sequi aliunde constat.

370. — Saltem autem contra omnes theorias hoc dici debet: *scientia indignum est,* cum agitur de aliqua persuasione magni momenti, quae nullo modo demonstrata est impossibilis, *ne inquirere quidem, num conditiones* eorum, qui eam manifestabant, *fuerint eiusmodi ut iis fides haberi possit, necne.*

371. — 2) *Theoriae falso ita procedunt, ac si esset facillimus transitus psychologicus ab ea persuasione, librum aliquem quaedam verba Dei continere, ad eam aliam, ipsam scriptionem talis libri Deo attribuendam esse.*

Eas ita procedere, expositione data manifestum est. Patet quoque eas falso ita procedere.

Etenim primo *quae connexio logica* intercedit inter priorem conceptum et secundum? Certe nulla. Quis nostrum in vita cotidiana v. g. ex eo quod in ephemeridibus totius mundi leguntur inter alia quidam sermones alicuius oratoris, concludit hunc oratorem has ephemerides cum omnibus quae in iis insunt, conscripsisse?

Deinde *hic defectus logicae connexionis psychologice* tanto plus *debebat suam vim exercere,* quia verba Dei quae in Scriptura ipsa ad

Deum revelantem reducuntur, minorem partem Pentateuchi, verba Christi et prophetarum Novi Testamenti minorem partem evangeliorum constituunt. Iamvero theoriae istae quam maxime in eo sunt, ut explicare velint, cur primario Pentateuchus et evangelia inspirata habita fuerint. Porro in libris historicis, ut Iosue, Regum, Actibus apostolorum, epistolis quas apostoli scripserunt, relative paucissima talia verba inveniuntur. — Ipse HARNACK p. 382 nota valde miratur « audaciam », qua Actus apostolorum inter libros canonicos receperunt.

372. — 3) *Falsa est haec evolutio statuta : Persuasio de prophetia quodam latiore sensu sumpta in persuasionem de inspirata scriptione transiit mediante idea platonica atque mantica de inspiratione.* Etenim

a) Non recordor me legisse de tali prophetia divina apud Iudaeos, cum qua error in rebus pronuntiatis coniunctus esset.

b) Si idea de prophetia erroris non experti mutabatur in ideam de prophetia erroris plane nescia, unde haec diversitas in ipso conceptu prophetiae ?

c) *Nullum habetur indicium, platonicam vel manticam doctrinam de inspiratione mentes Iudaeorum in Palaestina occupasse.* Est ergo saltem incognitum *X*, in quo theorias fundant. Imo scitur, generatim Palaestinenses influxibus idearum ethnicarum patientes non fuisse. Est ergo etiam positive inverosimile, ideas platonicas vel manticas influxisse. Cf. SCHÜRER II § 22 III p. 189-94. Porro ideas platonicas quod attinet, deberet probari nullas partes Scripturae habitas esse inspiratas antequam PLATO docebat († 347). Id quod certe non probatur.

373. — Quodsi quis pro influxu idearum Platonicarum et manticarum ex eo arguere vellet, quod PHILO *talem influxum passus est,* non una notanda est *disparitas.*

Pro influxu in Palaestinenses praecipue anteriores nullum habetur indicium; pro influxu in Philonem ob tot alias ideas e philosophia ethnica susceptas magna habetur probabilitas.

Influxus in Palaestinenses esset in formanda ipsa fide de scriptione divina totius Scripturae, etiam factorum humanorum vel rerum quam maxime indifferentium; influxus in Philonem vero esset in sola speculativa explicatione de facto aliquo, quod e fide certum tenebat, in qua explicatione nimium concedi speculationibus philosophicis in historia scientiae theologiae rarum non est.

In influxu in Palaestinenses agitur de efficienda rata et firma fide; in influxu in Philonem de explicatione, in qua ipsum Philonem sibi non constare

iam saepius observatum est. V. g. dicunt a Philone Mosen celebrari ut summum sapientem. Cur? Magna ex parte propter scripta. Et tamen secundum Philonem homo inspiratus nescit quid scribat.

374. — 4) *Invalidae sunt rationes ob quas theoriae quaedam statuunt, ideam de inspiratione librorum eorum, qui multas revelationes continerent, extensam fuisse ad libros alterius generis.*

Eiusmodi rationes sunt v. g. tales. *Legebantur* scripta secundi generis simul cum prioribus *in synagoga vel in conventibus ecclesiasticis.* — At primo certe haec aequalitas mere externa, si ullum erat sanum iudicium sive in Iudaeis sive in Christianis, explere non poterat eam inaequalitatis quasi abyssum, quae inter auctorem humanum et divinum interiacet. — Deinde num inspiratae habebantur Acta Martyrum, quae non raro in coetibus christianis cum Scriptura legebantur? — Tandem lectio in synagoga potius dicenda est effectus et signum persuasionis de certo quodam valore speciali scripti, quam ut eius causa esse possit, praecipue si de scriptis multis et magnis agitur.

375. — *Sanctitas historiae narratae!* (Baudissin). — At primo recolatur quod diximus n. 371 p. 163-4 de defectu connexionis logicae et psychologicae in hac re. — Secundo si haec rei contentae sanctitas Scripturae dignitatem efficit vel saltem promovet, cur dignitas Scripturae inspiratae non attribuebatur scriptis haggadicis, quae certe saepe magnae pietatis erant? (Schürer II § 25 III p. 400-14).

Antiquitas scripti, quod scilicet ante exilium compositum fuerit, quod tempori apostolico debebatur! — At primo interna quaedam connexio inter inspirationem et aetatem scripti inspirati certissime non adest. Nam inspirativus influxus e natura sua ad omnem aetatem indifferens est. — Caeterum saltem Hellenistae inter Iudaeos talem notionem non habebant. Etenim etiam scripta posteriora inspirata putabant. (Cf. Cornely, Comp. n. 15 p. 17-19). Porro sunt « indicia clara, ex quibus merito concluditur, Iudaeos quoque Palaestinenses ante Christum libros quoque deuterocanonicos (inter quos erant eiusmodi iuniores libri) agnovisse sacros ». Cornely p. 18.

376. — 5) *Neque ideam inspirationis Scripturae produxerunt circumstantiae temporis hae: quod Scripturae collectio completa erat, quod nullum ingenium propheticum iam surgebat, quod enthusiasmus evanuerat atque locum dederat pietati reflexae, quae normas quaerebat.* — Etenim certe dignitas inspirationis e conceptu suo afficit primo

singulos libros qua singulos, neque *e conceptu suo essentialiter dependet ab existentia alicuius collectionis completae.* — Porro persuasio de inspiratione librorum quorundam aderat ea aetate, quando nondum erat completus canon. Ita in Vetere Testamento, quando iam existebat persuasio de inspiratione Pentateuchi, accedebat idea de inspiratione librorum sacrorum, uti Sapientiae, Ecclesiastici ; in Novo Testamento fidei de inspiratione epistolarum quarumdam Pauli, quae iam tempore vitae Pauli habebatur, adiuncta est idea de inspiratione novorum librorum, ut evangelii Ioannis.

377. — Neque *carentia ingenii prophetici* erat conditio formationis ideae de inspiratione Scripturae. Nam primo nullum habetur argumentum quo historice probes, persuasionem de inspiratione Pentateuchi ortam esse nonnisi finita aetate prophetarum. — Praeterea in Novo Testamento certe primum saeculum, imo etiam initium secundi, erat aetas enthusiasmi, quem dicunt, i. e. aetas, in qua dona extraordinaria Spiritus largissime a Deo in Christianos effundebantur. At certe ei aetati « *enthusiasticae* » debetur, uti etiam directe e documentis constat, persuasio de inspiratione quarumdam epistolarum Pauli (Cf. 2 Petr. 3, 16), evangelii Mt. (Cf. ep. Barn.) — Porro nonne adhuc enthusiastica aetas ea erat, quam ut suam describit Irenaeus celeberrimo inciso adv. haeres. l. 3 c. 3 n. 3? Et tamen iis fere decenniis formatio ideae de inspiratione librorum sacrorum ab adversariis attribuitur. — Tandem forte non uni mira res videbitur, enthusiasmo, quo tamen potius promoveri debebant ideae de omni genere extraordinariae communicationis Dei cum hominibus, impediri eam persuasionem, quae est de maximo illo miraculo inspirationis Scripturae.

378. — *Neque quidquam effecit, quod aetas reflexa normas quaesivit.* Aetas illa reflexa certe opponitur aetati enthusiasticae ut ea, in qua homines iam non se sentiebant cumulari donis extraordinariis Spiritus Sancti.

At omisso, quod haec ipsa suppositio falsa est, aetas illa aut intelligitur instructa iudicio tranquillo de rebus religiosis aut tali iudicio tranquillo orbata. Si instructa tali iudicio tranquillo — quomodo ergo ad talem exaggerationem progrediebantur, ut, nulla causa obiectiva existente, Scripturas Novi Testamenti inspiratas proclamarent ? Si orbata tali iudicio tranquillo — alia sequuntur, quae explicari non possunt.

379. — Ac primo quidem cur aetas illa dona quidem Spiritus Sancti non iam « produxit », immanium autem aliarum exaggerationum fertilis erat? — Deinde — in suppositione adversariorum loquor — etsi ea actas exaggerabat vim obiectivam praedicationis apostolorum, eo quod contra veritatem negabat apostolos multa falsa religiosa ore et scripto propagasse, non potest demonstrari, eam exaggerasse praeter id quod finis exaggerationis requirebat. Iamvero finis exaggerationis erat, ut statueretur absoluta auctoritas scriptorum apostolicorum in re religiosa. At si hic finis exaggerationi praesedit, cur potius statuerunt talem plenitudinem spiritus, ut apostoli scriberent qua inspirati, quam eam, ut sub illustratione quidem et infallibili custodia Spiritus Sancti, at non ut instrumenta Dei in scribendo, res religiosas proferrent? Nonne hos limites e fine suo habet ea « exaggeratio », quam « aetas reflexa » ecclesiae catholicae ascribit suis conciliis, consensui Patrum? Nonne aetate « reflexa » Protestantismi praecipue inde a temporibus SCHLEIERMACHER audiuntur assertiones, apostolos utique plenos fuisse Spiritu Sancto, attamen ea tantum plenitudine, qua res religiosas recte cognoscerent, pie et infallibiliter, qua homines tamen, nobis transmitterent?

380. — 6) *Neque canon Marcionis ideam inspirationis canonis ecclesiae catholicae suscitavit.*

a) Mea pace teneas, canonem Marcionis fuisse prius clausum quam canonem ecclesiae catholicae, eo sensu scilicet, quod in ecclesia catholica numerus librorum sacrorum nondum indubie omnibus explicite notus erat eo tempore, quo Marcion, quia plurima scripta e canone eiecit et pauca in eo retinuit, omnis dubii ansam pro iis abstulerat, qui eius arbitrio se regendos tradiderant. At *quid quaeso ex numero clauso scriptorum in re religiosa auctoritatem habentium, de eorum scriptione humana an divina erui potest?* Nihil. Cf. n. 371 p. 163-4.

b) Theoria haec ut essentiale elementum supponere debet, prius tempore Marcionem habuisse canonem suum ut inspiratum, quam ecclesia catholica ullos libros Novi Testamenti ut inspiratos habuerit. Alias *non potest statui is influxus causae exemplaris in formationem ideae de inspiratione,* qui canoni Marcionis ut clauso ascribitur. At talem argumentationem nunquam vidi. Neque possibilis est.

c) At etsi Marcion primus, utique falso, inspirationem Scrip-

turae asseruisset, certe, etiam abstrahendo a principiis theologicis, *statui non potest, ecclesiam ea falsa quae haeretici statuebant, imitatam esse.* — Etenim primo generatim ecclesia catholica non in id ferebatur, ut ea imitaretur, quae haeretici introducebant. Porro etiam speciales rationes talem nisum imitandi in hac re dissuadebant. Quae rationes se habent ex parte earum doctrinarum de fontibus theologicae certitudinis, quas ecclesia contra Gnosticos premebat. Erant autem praecipue hae duae: prima erat, non esse quandam secretam traditionem credendam, sed tantum publicam; secunda erat, omnia quae traditione publica tradita sint, sive ore transmissa sive in Scriptura consignata fuerint, esse prorsus intelligenda secundum normam interpretationis infallibilis ecclesiasticae. Iamvero quis non videt, quo tempore tales veritates ob adversariorum genus premendae sunt, animos potius ad id ferri, ut Scripturae vim atque auctoritatem non ultra id premant quod traditum est, ut ergo a novis Gnosticorum theoriis eam exaggerantibus potius abstineant?

381. — 7) *Neque quod auctoritatem praedictionis apostolicae oralis transtulerint ad praedicationem scriptam, originem ideae de inspiratione epistolarum explicare potest.* — Etenim non potest demonstrari, Christianos praedicationi apostolorum orali aliam perfectionem tribuisse quam infallibilitatem in rebus fidei et morum. Ergo si dicis, Christianos solam perfectionem praedicationis oralis ad praedicationem scriptam transtulisse, *non potes demonstrare, eos epistolis plus ascribere debuisse quam eandem infallibilitatem in rebus fidei et morum. At cum scripta apostolorum inspirata dicebant, duplici ratione affirmabant plus:* Primo auctoritatem absolutam etiam earum rerum, quae ad religionem non pertinebant, v. g. S. Apostolum Paulum non memoria lapsum esse in uno ex istis multis nominibus eorum, quos in epistolis suis salutabat. Secundo ipsam inspirationem scriptionis, id quod omnino aliud est atque absoluta veritas rerum scriptarum.

382. — 8) *Absurdum est, ecclesiasticam auctoritatem inventasse inspirationem Scripturae, quia alias obiectionibus haereticorum resisti non potuisset.* — Etenim ut abstrahamus ab aliis plurimis quae responderi possent, haec ratio ab HARNACK reddita ad hoc reducitur: Superiores ecclesiastici, ut fidelium mentes ad singula multa falsa dogmata addictas tenerent, iis imposuerunt aliquod novum factum universale falsissimum, idque qua divinitus revelatum: sci-

licet originem plane immediate divinam omnium earum doctrinarum, quae inter se oppositae conspiciebantur.

At haec ratio allata non est nisi *applicatio quaedam unius generalis rationis* seu quasi principii, e *quo* HARNACK *generatim formationem dogmatum ecclesiae catholicae explicat.* Scilicet secundum Harnack necessitas ad retinendas assertiones, quae inter se oppositae erant, ecclesiasticam auctoritatem adduxit, ut quaedam nova falsa assereret, quibus creditis eiusmodi oppositiones cum vero a fidelibus non iam ut tales sentirentur. Cf. modum amplum quo HARNACK hanc theoriam evolvit in Geschichte der Altchristlichen Litteratur I 1 Praefatio. Quae methodus tantam aut *malitiam aut stultitiam in ecclesia universa eorum temporum supponit*, ut historicus ab ea asserenda omnino refugere debeat, etsi a principiis theologicis abstrahit.

383. — 9) *Argumentatio illa positiva quam* BAUR *ex* S. IUSTINO *adducit, plane nulla est.* — Etenim S. IUSTINUS, Dial. cum Tryphone c. 8 id unum dicit, *in genere dona prophetica in ecclesia usque ad sua tempora persevererare.* Inter haec contineri omnes et singulas formas eius, quae unquam in Vetere Testamento a Deo datae fuerint, Iustinus non dicit.

Nam primo ipsa forma dictionis indeterminata est: *προφητικὰ χαρίσματα*, sine articulo. — Porro S. Iustinus nequaquam a priori procedit, sed e quibusdam factis, a posteriori proficiscens, concludit, quasdam perfectiones gentis Iudaicae in Christianos transiisse.

E quo ad omnia et singula dona prophetica in specie concludere velle, nulla habita ratione diversa utriusque foederis, certe vim talis dicti exaggerat. Iamvero aliunde constat, Patres veritatem revelatam publicam, sive ea per revelationem oriatur sive per inspirationem, in apostolis habuisse completam. — Tandem S. Iustinus, ut diximus, non loquitur de eiusmodi donis propheticis, quae aliquando, v. g. aevo apostolico, ad quosdam Christianos translata fuerint, quin tamen continuo in iis perseverent, sed omnino de talibus, quae etiam diebus suis inveniantur. Iamvero adversarii hoc ipsum explicare volunt, cur tantum in scripta aevi apostolici aetas « reflexa » donum inspirationis quasi proiecerit. Quomodo ergo ad hoc dictum S. Iustini recurrere possunt?

Propositio VIII. — Reiciuntur rationes quaedam, quibus Rationalistae inspirationem Scripturae impugnant.

384. — Ratio cur principales quasdam difficultates adversariorum proponamus ea est, ut 1) brevi conspectu proponantur arma principalia, quibus non iam argumenta pro inspiratione sed inspiratio Scripturae in se ipsa impugnatur; 2) aliquo modo capiatur, quae fuerint causae vel occasiones, cur quaedam sententiae falsae de inspiratione novissime etiam ab iis Modernistis propositae fuerint qui a Catholicis prodierunt. Nempe ideae falsae a Rationalistis praecipue inter Protestantes ed eos transierunt.

Modus solutionis hic dandae. — Difficultates huiusmodi generatim supposita quaedam habent, quorum falsitas sive in philosophia sive in theologia fundamentali iam ostensa est. Unde in responsis generatim brevissimi esse poterimus, eo quod falsam methodum adversariorum indicamus atque ad illos tractatus iam antea propositos remittimus.

Ad duo capita difficultates reducimus. Hauriuntur aut ex ideis aprioristicis pseudophilosophicis vel pseudotheologicis circa inspirationem in genere aut ex parte materiae in Scriptura contentae.

A quibus adversariis hae difficultates prolatae fuerint v. g. in parte historica tractatus n. 144-204 p. 69-89.

Ex parte pseudo-philosophiae et pseudo-theologiae.

385. — Obi. 1. — *Impossibilis est omnis influxus divinus praeternaturalis in mundum iamiam formatum.* Saltem talis influxus nunquam cognosci potest. Iamvero inspiratio esset talis influxus, Ergo non existit.

R. Patet ex ipsa philosophia vel e tractatu de religione revelata in genere, maiorem falsissimam esse.

386. — Obi. 2. — Entia non sunt multiplicanda sine ratione. Iamvero *ad maiorem partem Scripturarum conficiendam hominum notitia naturaliter parta sufficeret;* in maiore enim parte Scripturae narrantur res historicae vel saltem eae, ad quas cognoscendas speciale auxilium divinum necessarium non est. Cur igitur ad revelationem earum rerum auctori sacro faciendam recurritur?

R. *Nego suppositum* adversariorum, *inspirationem* rei ut scribendae *e doctrina catholicorum per se esse coniunctam cum revelatione rerum scribendarum* hagiographo facta. Cf. n. 17-9 p. 15-6. — Haec tamen falsa suppositio semper iterum mentes adversariorum occupat.

Alia quaestio est, cur scriptionem rei naturaliter scitae Deus inspirare voluerit. Quam Rationalistae minus instituere solent. Nos autem eam alio loco tractabimus.

387. — Obi. 3. — *Didicimus, omnem religionem absolvi immediata relatione singulorum hominum ad Deum suum*, ita ut nullus omnino homo, saltem non sub ratione auctoritatem exercentis, intermedius esse possit inter animam eiusque Deum. Iamvero inspiratio est charisma, per quod homo inspiratus ita mediat inter Deum et eos homines, ad quos Scriptura directa est, ut quasi divinam auctoritatem relate ad caeteros homines induat, quippe cuius scripta fide divina amplectenda sunt.

R. *Principium maioris refutatum est in tractatu de religione revelata in genere.* Ostensum enim est ibi, revelationem mediatam ob sapientissimos fines fieri posse. Cf. v. g. VAN LAAK, De revelatione in abstracto considerata Prop. 10 p. n. 53-4 p. 37-8. Id quod ad inspirationem ob paritatem causae transferendum est. Etenim tum revelatione tum inspiratione fit, ut Deus mediante homine aliis auctoritatem suam applicet.

388. — Obi. 4. — Is est psychologiae progressus, ut *iam omnes motus sive intellectus et voluntatis sive aliarum facultatum cognoscitivarum et appetitivarum ad causas earum naturales reducere possimus.* Iamvero inspiratio est aliquis motus psychologicus. Ergo.

R. *Probavimus* in tractatu de revelatione christiana et de ecclesia, *multa genera miraculorum in decursu saeculorum locum habuisse*, tum in ordine externo rerum physicarum tum in ordine intellectus et voluntatis. Ergo maior falsissima est. — Porro e revelatione iam demonstrata probavimus, inspirationem factam esse, de cuius intima essentia quaedam etiam ex revelatione habentur. Facto probato standum est, non vero a priori procedendum.

389. — Obi. 5. — *Scimus, omnes religiones historice explicandas esse.* Unde etiam inspiratio historiae legibus obediat necesse est.

R. 1) Omnia facta historice explicanda sunt in tantum, *in quantum vera factorum omnium origo indaganda est* secundum eas leges,

quibus existentia factorum demonstranda est. Iamvero aliquod factum secundum leges methodologiae historicae duplici via constare potest, aut auctoritate aut effectibus. Cf. Ernst Bernheim, Lehrbuch der historischen Methode, Leipzig 1903[5] c. 3 § 1 p. 255-9. Iamvero probavimus ex auctoritate, cuius infallibilitas antea demonstrata est, factum inspirationis locum habere. Ergo methodologiae historiae leges secuti sumus. — 2) At verbis obiectionis adversarii generatim non id dicere volunt, nullum factum assumendum esse, nisi secundum rectam methodum eius existentia probata fuerit. Sed aliud *affirmant,* scilicet *omnia facta* quae in humano genere locum habuerunt, *deberi iis viribus quae ordinarie in historia reperiuntur,* i. e. viribus naturalibus, ordinariis, atque proinde per vires ordinarias explicanda esse. Quod cum dicunt, turpiter supponunt nullas actiones miraculosas fieri posse.

390. — Obi. 6. — *Omnes isti libri habent causas atque occasiones humanas,* quae historica methodo detegi possunt. V. g. Marcus ideo scripsit evangelium suum, quia Romani id ab eo petierunt. Unde nulla inspiratio a coelo ut causa eorum advocanda est. Quod elementum humanum si debite attendissent antiqui Patres atque theologi, ad suas theorias de inspiratione non pervenissent.

R. 1) *Falsum est, Patres hoc elementum non considerasse.* E. g. ex eiusmodi circumstantiis historicis non pauci explicant, cur hic evangelista haec, ille illa narranda susceperit.

2) Adversarii contra rectam methodum agunt. Etenim statuemus, per inspirationem activitatem humanam qua humanam, non vero activitatem hominis quasi automaticam, in instrumentum activitatis divinae assumi. Activitati autem humanae proprium est, suis motivis atque occasionibus excitari. Iamvero *adversarii probare neque possunt neque student, talem activitatem non posse a Deo in instrumentum assumi.* Ergo facto revelato standum est. Cum de essentia inspirationis agitur, rem data opera explicabimus.

391. — Obi. 7. — *Inspirationis conceptus includit mantici quid,* aliquid quod homine rationabili indignum est. Etenim activitatem intellectus et voluntatis suspendit. Iamvero talem statum manticum et magicum produxerint dii ethnici; eum certe non producit Deus Christianorum, qui spiritus et vita est.

R. *Patres et Theologi,* praecipue cum contra Montanistas agunt, porro *ipsa indoles librorum sacrorum contra hunc inspirationis con-*

ceptum insurgunt. Huiusmodi difficultate usque ad nauseam repetita adversarii apertas irruunt portas. Rationem intrinsecam cur inspiratione activitas humana nequaquam suspendatur sed perficiatur postea videbimus.

392. — Obi. 8. — *Quod hominibus etiam indignis confertur, nihil divini in se continet.* Iamvero inspiratio ita declaratur, ut etiam malis conferri possit.

R. *Inspiratio est gratia gratis data,* non vero gratum faciens. Unde nihil impedit quominus aliquando etiam malis conferatur. — Solet utique inspiratio tamen potius sanctis dari. Cuius rei ratio haec est: Generatim decet, Deum ministros extraordinariae potentiae, sapientiae, bonitatis suae eos constituere, qui digni sunt, ut in instrumentum divinitatis eleventur, et qui animo libenti creatori suo in his erga alios muneribus inserviunt.

393. — Obi. 9. — *Religio non existit nisi naturalis,* i. e. procedens e principiis pure naturalibus. *Proinde fides non est nisi sensus pius fiduciae in Deum* ob eas Dei perfectiones, quae iam naturali ratione cognosci possunt. *Unde facta historica nihil essentiale ad fidem conferunt;* id quod de ipsis factis et dictis Christi valet. Quare neque Deus habet curam specialem certitudinis nostrae de factis. *Ad quid ergo inspiratio,* qua moti hagiographi in maiore plane parte Scripturae nonnisi *facta historica* narrant?

R. Omissis aliis multis, quae ad hanc obiectionem dicenda sunt, haec affero: a) *Fides* secundum Scripturam et Traditionem *est assensus in aliquam veritatem ob auctoritatem Dei loquentis praestitus.* Essentialiter ergo supponit factum locutionis divinae. — b) *Facta historica quae Deus sive revelatione sive inspiratione nobis refert, multis modis cohaerent cum ipsa religione.* Quaedam ad essentiam religionis supernaturalis pertinent, uti v. g. elevatio ad ordinem supernaturalem, peccatum protoparentum. Quaedam eam illustrant, ut tota historia populi hebraici, e qua elucet providentia Dei dirigentis populum ad finem ob quem eum elegerat. Quaedam sunt motiva credibilitatis pro revelatione divina, uti miracula, vaticinia eorumque impletio etc. Plurima etiam aliis modis ad finem religiosum iuvant; de quibus omnibus postea accuratius sermo fiet. Cf. interim VAN LAAK o. c. n. 41-4 p. 31-2.

EX PARTE MATERIAE IN SCRIPTURA CONTENTAE.

394. — Obi. 10. — Deus si per hominem loquitur certe neque ad errores communicandos neque ad affectus malos exprimendos inspirationem suam dirigit. Iamvero

1) *in Scriptura errores plurimi continentur, tum quoad res historicas vel alias mere profanas, tum quoad tales res historicas, quae cum religiosis doctrinalibus hoc vel illo modo connexae sunt, tum quoad ipsas res religiosas doctrinales.* — Deinde auctores affectus suos malos scribendo cum hominibus communicant, atque *ad mala* eos *indirecte vel directe excitant.*

Concedimus, ex his plurimis erroribus in Scriptura contentis proxime nonnisi illud sequi, illos ipsos locos, in quibus tales errores continentur, non esse a Deo conscriptos. At cum eiusmodi errores istos libros plane pervadant atque impleant, probabile non est, Deum inspiratione quasi intermittente illa relative pauca vera conscripsisse, quae in libro tot erroribus conferto inveniuntur.

2) At quod caput est, *evidenter rectis principiis rationis contradicit tota religio Veteris Testamenti tum obiective tum subiective sumpta.* Obiective sumpta, i. e. Deus ille, qui in Vetere Testamento ut verus proponitur; tota oeconomia factorum quae de Deo credendo imponitur; tota summa praeceptorum, quae ut a Deo profecta refertur. Religio subiective sumpta, seu omnis modus profitendi religionem in iis hominibus, qui in Scripturis commendantur. Iam fere nimium laudaverit Vetus Testamentum, qui affirmaverit, in eo saltem non esse aeque damnandum medium et finem, quam principium, sed saltem aliquam in eo videri evolutionem a peioribus ad minus mala.

R. 1) Usque nunc probatum non est, quidquam falsi in libris originalibus asseri, quidquam mali sive directe sive indirecte approbari. A fortiori nequit esse sermo de tot sententiis falsis seu etiam ad malum incitantibus.

Modi autem diversi quibus Scriptura originalis a singulis quibusdam speciebus errorum historicorum vel physicorum *vindicatur*, qui in ea continuo inveniri dicuntur, *in thesi de inerrantia statuuntur.* Ipsi autem singuli errores apparentes sive in Introductione sive in ipsa exegesi explicantur. Iisdem in locis demonstratur, Scripturam neque directe neque indirecte ad mala adhortari.

2) *Totam oeconomiam Veteris Legis bonam esse,* uti contra Ma-

nichaeos a Patribus defensum est, ita postea in tractatibus de Vetere Lege probatum est. E temporibus recentioribus cf. v. g. CHRIST. PESCH, Prael. dogm.[2] V 1900 thesis 41-50 p. 245-98. — Ampliora GUIL. WILMERS S. I., De religione revelata, Ratisbonae 1897 p. 171-258. — Etiam plura habet IGN. OTTIGER S. I., Theologia fundamentalis I 1897 p. 341-605.

Rationes cur haec integra oeconomia falso intelligatur sunt praecipue hae: falsa notio de rebus divinis, ob quam damnant quae non solum non damnanda sed plane divina sunt; falsa explicatio tot anthropomorphismorum, qui in Vetere Testamento et sine periculo adhibebantur et ad faciliorem intelligentiam rerum divinarum sapienter ordinati erant.

395. — Obi. 11. — Si Deus Scripturam inspirasset, eam direxisset ad religionem promovendam. Iamvero *ad finem religiosum multa dicenda fuissent maximi momenti, quae vel omittuntur vel saltem non multum premuntur; maior vero pars earum rerum quae narrantur, ad finem religiosum non multum conferunt.* Etenim maior pars rerum quae in Scriptura continentur, fata populi Israelitici ante Christum enarrant. Cogita v. g. ordinem, numerum tribuum relatum in libro Numerorum, alia sexcenta eiusdem generis.

R. *Difficultas supponit, Scripturam inspiratam esse unicum fontem religionis revelatae pro genere humano.* Iamvero hoc neque quoad Vetus neque quoad Novum Testamentum verum est, id quod data opera in tractatu de Traditione vel de Vetere Lege probatur.

Antequam Deus Scripturam inspirasset, revelatio hominibus iam proposita fuerat. Neque Scriptura ad eum finem composita est ut quaecumque usque ad illud tempus revelata erant, in ea deponerentur. — Ea historica, quae utique maiorem partem Scripturae formant, partim utilissima sunt ad ipsas revelationes intelligendas, partim providentiam divinam sive naturalem sive praeternaturalem circa populum electum illustrant. — Libri Scripturae generatim proxime scripti sunt in adiumentum alicuius specialis necessitatis vel utilitatis religiosae, quae certo tempore et certis sub circumstantiis locum habebat. Unde ea, quae dicenda erant, proxime hanc necessitatem vel utilitatem respiciebant atque proinde earum rerum per Deum narratio scripto facta omnia alia religiosa iam sciri atque retineri supponebat. — Porro iam antea vidimus, ex multis rationibus profana cum religiosis connecti atque consequenter aptissime

vel ab ipso Deo narrari posse. — Quod ad Vetus Testamentum attinet, praeterea notandum est, eos libros sacros directe ad populum Israeliticum qua talem dirigi, ut ad eum finem perducatur, quem huic populo qua tali Deus demandaverat, atque ad quem miris factis et factis historicis eum educabat. Unde huius populi electi historia connaturaliter formabat magnam partem materiae eorum librorum sacrorum, qui primo ei destinati erant.

396. — Obi. 12. — *Deus tot res religiosas novas habebat, quas cum hominibus communicaret, ut non pluries idem cum iis communicare deberet.* Atqui si Scripturam inspiravit, statuendum est, eum hac ratione inepta processisse. Etenim v. g. multa quae in libris Samuel et Regum narrantur in libris Paralipomenon repetuntur. Porro Synoptici, uti ipsum eorum nomen indicat magna ex parte eandem materiam tractant. Denique prophetae, libri Sapientiales saepius eadem de rebus divinis vel moribus proponunt.

R. Rationes praecipuae, cur Deus ita egerit, hae sunt: *a) Maximum momentum rerum quae repetuntur*, idque praecipue iis temporibus, quibus inculcabantur, v. g. ratio peccati horrendi in idololatria, electio populi Israelitici ad fines religionis sublimissimos, ut scilicet praepararet Messiae adventum, conversionem totius mundi. — *b) Non raro eadem facta diversas quasi partes, circumstantias, formalitates in se habent,* ob quas narrentur. Quare secundum hos fines diversos in diversis scriptis nunc haec quasi pars vel circumstantia vel formalitas facti narratur, nunc illa. — *c)* Alia ratio talium repetitionum petenda est ex fine secundario Scripturae, qui ad hoc quoque extenditur, *ut contineat motiva credibilitatis,* tum stabilienda in iis, qui nondum inspirationem admittunt, tum confirmanda in iis, qui eam iam tenent. Lex enim critica est, auctoritatem humanam alicuius historiae crescere cum numero eorum, qui eam narrant, si scilicet testes illi eadem proferunt et simul aliunde constat, eos aut inter se plane independentes esse, aut etsi aliqua ratione inter se dependeant, eos ea non repetituros fuisse nisi certitudine rite acquisita.

397. — Iis quae in hac parte difficultatum enumeravimus, facile videtur quantopere adversarii errent, cum pronuntiant, via inquisitionis philosophica, psychologica, historica, religiosa, dogma inspirationis facillimo negotio destrui. Postulata pseudoscientifica ponunt eo quod philosophiae, psychologiae, historiae, religionis leges aut false intelligunt aut false applicant.

Art. 2. — De extensione inspirationis ad omnes et singulas S. Scripturae sententias.

Assertum: Omnes et singulae sententiae Scripturae originalis inspiratae sunt.

398. — Qualificatio theologica asserti. — **Negare,** omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas, **saltem est error exploratus in fide.** — Rationes huius qualificationis ex ipsis propositionibus patebunt.

399. — Connexio materiae. — Vidimus libros eos, quos ecclesia ut sacros et canonicos veneratur, saltem si generatim sumuntur, cum Spiritu Sancto inspirante conscripti sint, Deum habere auctorem. Accedimus ad solvendam quaestionem, num *omnes et singulae sententiae* Scripturae inspiratae sint. Quae quaestio, uti perspicitur, est *de extensione inspirationis* ad omnes sententias in libris canonicis contentas.

Explicatio terminorum.

400. — Omnes et singulae sententiae intelliguntur sensu strictissimo. — In vita quotidiana aliquem librum aliquando alicui auctori ascribimus, quamvis aliunde sciamus, alium, v. g. amicum, auctore vivente vel post eius mortem, quaedam minima addidisse. Quaerimus num simile quid de sacra Scriptura relate ad eius auctorem Deum admitti possit, scilicet num omnes sententiae scriptae sint a Deo inspirante, *an quaedam ab homine non inspirato* ea scilicet inspiratione, qua Deus est auctor principalis libri, homo vero instrumentalis. — Agimus autem *de Scriptura originali,* de exemplaribus apographis et versionibus vero solum in tantum, in quantum aliunde constiterit, ea originali esse conformia.

Divisiones quaedam sententiarum.

401. — Sententiae dividuntur secundum eam personam, quae in iis loquens vel agens introducitur. — Quomodo sententiae in quibus hagiographus in prima persona loquitur, sint verbum Dei. — Si quaeritur qua ratione sit intelligendum, singulas sententias esse verbum Dei scriptum, certe nulla difficultas est de talibus sententiis, in quibus *ipse Deus in prima persona ut loquens introducitur,* sive assertiones profert, sive volitiones.

Facile etiam capitur res quoad *sententias narrativas, quae sive de Dei verbis vel actionibus, sive de hominum caeterorum dictis vel factis sive de hagiographi dictis vel factis in tertia persona loquuntur.* Etenim quae hagiographi in Scriptura scribunt, Deus per homines scribit. Ergo Deus scribit de suis, de caeterorum hominum, de ipsius hagiographi dictis vel factis, ita ut *haec dicta et facta sint obiecta Scriptionis divinitus factae et ad nos directae.*

402. — *At difficile videtur captu, esse verba Dei plurimas illas sententias Scripturarum, in quibus auctor humanus de se in prima persona loquitur,* sive assertiones profert v. g. « reliqui penulam meam », sive volitiones, v. g. « miserere mei Deus ». Quomodo enim talis sermo directe et immediate ad Deum ut auctorem reduci potest, cum in hac forma ori Deo nullatenus congruat? Crescere videtur difficultas *si hagiographus seipsum data opera a Deo distinguit,* v. g. 1 Cor. 7, 12 : « Caeteris ego dico, non Dominus ». Quae verba sequitur dispositio quaedam apostoli de re matrimoniali.

Nihilominus idem principium applicandum est, quod in priore classe sententiarum statuimus. Scriptura est verbum Dei vi originis, in quantum sententiae qua scriptae sunt a Deo, at a Deo ut causa principali, ab homine ut causa instrumentali. Deus est ergo qui impulit hominem ut de se homine haec et haec in prima persona scriberet. Unde *illae assertiones et volitiones humanae, hic et nunc in anima hagiographi existentes, sunt obiectum quod ipse Deus per hominem fidelibus scribit.* V. g. Deus impulit Paulum ut scriberet, se Paulum reliquisse penulam; Deus per Paulum scribit, Paulum penulam reliquisse.

« *Pone Caium quaedam Sempronio dictasse.* In hac suppositione Sempronius, qui Caium dictantem audivit, omnia, quae audivit ut Caii auctoritate subnixa accipere debuit. Id manebit verum, *licet Caius quaedam dictare voluerit, quae immediate non ex sui ipsius ore proponuntur, sed dicuntur ex persona Sempronii.*

Quod de Sempronio valet, valebit etiam de aliis, qui quacumque ratione certo compererint, ea Sempronio a Caio dictata fuisse. Apparebit id manifestissime, si supponis, Caium, quod actum est, Sempronio certo consilio ubique promulgandum commisisse. Haec ex saepe dictis ad Scripturam et ad Deum qui principalis eius auctor est, transferenda sunt.

Quaeres, *cur Deus,* cum ipse Scripturae sit auctor, *non semper et ubique ex propria persona in Scriptura loqui voluerit, aut cur Deo placuerit, ut sacer auctor a Deo interdum aut virtualiter aut expresse se discerneret?* Respondemus hac consideratione simplicissima. Ex rationibus, quae eius

sapientiae notae sunt, Deo placuit edere libros sacros in forma humana conscriptos. Iam vero ex hac librorum indole id, de quo hic agitur, sponte et fere necessario consequitur ». Schmid p. 156.

403. — Sententiae dividuntur secundum materiam contentam in religiosas, profanas. — Speciatim premimus ob adversarios, *non esse faciendam distinctionem* in sententias inspiratas vel non inspiratas *secundum materiam quam continent, vel secundum finem proximum quem prosequuntur*, quasi sententiae quaedam de re profana, seu sententiae profanae, non sint inspiratae, sententiae de rebus religiosis vero, seu sententiae religiosae, sint inspiratae.

Veritas religiosa est enuntiabile, quo aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur ; veritas vero profana est enuntiabile, quo aliquid de rebus creatis affirmatur, quin earum relatio ad Deum spectetur.

404. — Veritates religiosae diverso modo dividi possunt. — Quaedam sententiae affirmant eiusmodi veritatem ad res divinas vel ad mores pertinentem, quae *nullum factum historicum in se continet*, aut necessario supponit, v. g. Deus unus est. Vocari possunt sententiae religiosae abstracte doctrinales.

Quaedam sententiae religiosae *res historicas seu facta narrant.* Inter quas quaedam sententiae talia historica nobis proponunt, *quibus in hoc ordine rerum ad vitam aeternam ordinamur,* uti v. g. incarnationem Verbi, institutionem sacramenti eucharistiae.

Quaedam vero sententiae religiosae historicae *talia facta continent, quae obiective, sive arctius sive latius, cohaerent cum veritatibus theticis religiosis vel cum factis, quibus ad vitam aeternam ordinamur.* Huiusmodi sunt v. g. populi hebraici historia, quippe qua providentia divina illustretur, redemptio humani generis per Christum praeparetur.

Facta eiusmodi aliquando possunt in se esse minima et tamen habere momentum religiosum haud exiguum, si scilicet typi sunt, id est facta quae in signa rei futurae elevata sunt.

Sententiae profanae, sive ex historia, sive e physica sive ex alio quodam campo rerum scibilium, *aliquando nullo modo obiectivo connectuntur cum iis doctrinis religiosis theticis vel cum iis factis religiosis, quae in Scriptura narrantur.* Nihilominus etiam tales sententiae possunt habere finem suum in veritatibus istis religiosis; scilicet ideo narrantur, ut veritates religiosae a nobis *subiective* melius, v. g. vividius vel iucundius percipiantur. Qua ratione *ad aptam pro-*

positionem veritatum religiosarum pertinent. Exemplum notum habes in sententia, canem Tobiae gavisum esse.

405. — Hac thesi *abstrahimus a quaestione* quid determinate Concil. Trident. intellexerit sub phrasi « *res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* » (Denz. 668), cum « ad coercenda petulantia ingenia decerneret ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra sensum, quem tenuit et tenet Sancta mater ecclesia.... ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ». Nam 1) haec distinctio nullo modo inservire potest ad solvendam quaestionem de extensione inspirationis. Probabimus enim, omnes sententias esse inspiratas. 2) Ex mente Concilii haec quaestio ad doctrinam de norma interpretationis sacrae Scripturae pertinet non vero ad doctrinam de inspiratione. 3) In determinatione magis accurata, quid sint res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium theologi optimi catholici aliquatenus dissentiunt. Adversarii autem huius thesis qui hunc terminum adhibent, sufficienter refutari possunt, quin iudicium de his diversis sententiis feratur.

406. — Hac thesi non tractamus quaestionem de inspiratione quae saepe verbalis dicitur. — Scilicet hac thesi quaerimus, num influxus inspirativus vere talis omnes omnino sententias amplectatur, an quasdam non attingat. Quaestio autem de inspiratione verbali inquirit, qua ratione influxus inspirativus, si in aliqua sententia scribenda intervenit, se habeat ad electionem verborum singulorum, quibus talis sententia exprimitur. Unde thesis hic tractanda est de extensione inspirationis; quaestio vero de inspiratione verbali essentiam inspirationis respicit.

407. — Modus procedendi in thesi. — Praecipue insistimus in eo ut demonstremus, etiam eas omnes *sententias quae de rebus quam maxime in se indifferentibus agunt, sub inspiratione esse conscriptas.* Si enim hoc constat, a fortiori certum est, omnes locos forte fusiores, qui res tales tractant, esse inspiratos; item locos omnes sive minimos sive longiores, quibus proponuntur res sive magis sive minus connexae cum doctrinis theticis religiosis vel cum factis, quibus ad vitam aeternam conducimur; iterum a fortiori eos, qui directe tales res proponunt, propter quas aliae inspirantur.

Adversarii asserti.

IN ANTIQUITATE.

408. — **Marcion** († c. 165-170) ob oppositionem, quae ei inter Deum Veteris et Novi Testamenti intercedere visa est, totum quidem Vetus Testamentum reiecit, ex Novo vero ea scripta, quae Deum Veteris Testamenti commendare videbantur. Unde reiecit omnia evangelia praeter Lucam, omnia alia scripta praeter 10 epistolas Pauli. Atque in tantum eius haeresis ad historiam canonis spectat. — *At etiam in ipsis illis scriptis canonicis, quae retinebat, iterum plurima omisit,* omnia scilicet in quibus evangelia cum Veteris Testamenti doctrinis convenire putabat. Cf. BARDENHEWER, Geschichte der Altkirchlichen Literatur I p. 341-3. — Amplissime ZAHN, Geschichte des Neutestamentl. Kanons I p. 585-718.

409. — **Manichaei** quoque et **Neomanichaei** medii aevi, praecipue quia putarunt malum in Vetere Testamento ad Deum ut veram causam reduci, generatim quidem integrum Vetus Testamentum vel integros eius libros, aliquando etiam integras epistolas Novi Testamenti reiciebant. At aliquando etiam in ipsis libris Veteris et speciatim Novi Testamenti partes inspiratas a non inspiratis distinguebant. Cf. n. 282-7 p. 128-31.

Anomoei quoque ut suam haeresim Arianam defenderent, « cum argui rationum vi ac male haberi coeperint, effugiunt subinde ac prosiliunt et « Ista, inquiunt, apostolus tamquam homo dixit ». Cf. n. 89 p. 46.

SAECULO 16.

410. — **Erasmus** saltem non omnino reiecit sententiam, quosdam errores in rebus minimis a sacris auctoribus conscriptos esse. Iuverit quaedam eius verba referre. Cum enim huic eius doctrinae, quamvis modestissimis limitibus circumscriberetur, theologi vehementer contradicerent, patet quam firma eorum opposita doctrina fuerit.

In Mt. 2, 7 ita docet: « Ut enim Spiritus Ille Divinus, mentium Apostolicarum moderator passus est suos ignorare quaedam, et labi *errareque alicubi iudicio sive affectu,* non solum nullo incommodo Evangelii, sed hunc etiam ipsum errorem vertit in adiumentum nostrae fidei: ita fieri potuit, ut sic temperarit organum Apostolicae memoriae, ut etiam si quid

humano more fugisset, id non solum non deroget fidei Divinae Scripturae, verum etiam fidem arroget apud eos, qui alioqui de composito scriptum calumniari poterant.... Solus Christus dictus est veritas, unus Ille caruit omni errore. Adfuit Spiritus Divinus et divo Cypriano, ut est probabile, et tamen quaedam illius reiiciuntur ab orthodoxis : adfuit et Hieronymo, reiiciuntur et huius nonnulla : adfuit Augustino, atque ipse quaedam sua recantavit.... Poterat [Christus] suos semel omni ignorantia, omni liberare errore, at iuxta Augustinum, et post acceptum Spiritum Sanctum deliquit Petrus, et ita deliquit, ut a Paulo meruerit acriter obiurgari. Dissentit a Barnaba Paulus, quod fieri non potuit, nisi alterutro errante. Quod si prorsus existimemus labefactari Scripturae totius auctoritatem si vel levissimus error usquam insit, certe plus quam probabile est, in omnibus exemplaribus quibus nunc utitur Ecclesia catholica nullum esse tam emendatum cui non vel casus, vel studium alicuius mendi nonnihil asperserit. Iam si placet superior ratiocinatio, aut hoc plane negandum est, aut labascet universa fides Divinae Scripturae ».

Affirmat tamen, hanc non esse suam firmam et ratam sententiam. — « Atque haec dixerim, optime lector, non quod huius sententiae velim vel auctor esse vel patronus ; sed si qui forte sunt qui putent huiusmodi nodos, quos aliquot nectit Hieronymus, explicari non posse, ne protinus sic interpretentur, ob unum aut alterum verbulum labefactandam totius Scripturae S. auctoritatem, iniquiores erga sacros libros quam erga profanos. Op. omn. ed. Lugd. Bat. 1703, tom. 6 p. 13. — Crit. sacri tom. 6 Amstelodami 1698 p. 59. — Alio in loco habet, *se ita docuisse* per fictionem *adversus morosos et impios calumniatores* » in ordine ad defendendam auctoritatem Scripturae, non ut suam propriam sententiam : « Et tamen quod ad meum sensum attinet, magis eorum sententiae faveo qui credunt Apostolos in Scripturis canonicis duntaxat, nec sententia nec verbo lapsos fuisse ». Cf. Desiderii Erasmi Apologia adv. articulos aliquot per Monachos quosdam in Hispaniis exhibitos. Op. omn. t. 9 ad Obi. 45 Resp. 45.

Sunt, qui pro sententia Erasmi in hac re recurrant ad eius Comm. in Act. 10, 38, Op. omn. 6, 478, Crit. sacr. tom. 4 p. 201-2. At eo in loco tantum videtur esse sermo tum de eo sermone orali apostolorum, qui ad praedicationem evangelii non pertinebat, tum de stilo eorum imperfecto, quem, non obstante dono linguarum iis concesso, tum in operibus scriptis tum in sermonibus ore prolatis manifestant.

Saeculo 17 et 18.

411. — Holden (et **Chrismann** cf. n. 101-2 p. 51-2) retinet quidem inerrantiam totius Scripturae. Retinent doctrinam catholicam, totam Scripturam esse Verbum Dei et Scripturam canonicam. — At cum agitur de explicanda ratione, qua tota Scriptura sit Verbum Dei, affirmat hoc ita intelligendum esse, ut ex tota Scriptura tantum eae partes fide divina credi possint, quae a Deo per revelationem sive hagiographis sive aliis ante eum communicata sint.

Iamvero secundum disertam traditionem catholicam inter se convertuntur, Deum inspirasse Scripturam et Deum eam elocutum esse (Cf. textus Patrum et theologorum n. 225-47, 261-79 p. 102-13, 121-7). Secundum eandem traditionem et sacram theologiam ea, quae Deus elocutus est, credibilia sunt de fide divina quoad se, idque immediata consequentia patet.

Ergo si quis affirmat, non omnia asserta hagiographorum posse fide divina credi, non omnem Scripturam esse verbum suum, quod Deus ad nos direxerit, aperte illud quoque affirmare cogitur, non totam Scripturam esse inspiratam. Quae conclusio cum ita evidens sit, diversi auctores talem sententiam non tam refutant, quando de essentia inspirationis agitur, quam cum de extensione inspirationis ad universam Scripturam quaeritur. — Ita v. g. SCHEEBEN I p. 112; KLEUTGEN, Theologie der Vorzeit I^2 1867 n. 29-41 p. 54-72 (de Chrismann).

SAECULO 19.

412. — Occasio erroris. — Antiquitus GNOSTICI et MANICHAEI inspirationem limitabant, quia ob stultas suas ideas de Deo eiusque perfectionibus putabant, in multis locis ea dici, quae Dei natura indigna sint. — Saeculo 16 ERASMUS eundem errorem ideo committebat, ut paucos quosdam errores Scripturae ea ratione explicaret qua simul inspirationis dignitatem et Scripturae finem efficaciter tueretur. — Saeculo 17 et 18 HOLDEN (ET CHRISMANN) omnimodam inerrantiam Scripturae libenter concedebant, tantum ob falsam quamdam speculationem theologicam de natura veritatum credendarum, limites inspirationis vere talis augustiores ponebant. — Saeculo 19 haec falsa sententia ex desiderio profecta est, ut facili via errores plurimi qui in Scriptura inesse credebantur cum eius generali inspiratione coniungerentur (Cf. n. 107-8 p. 54-5).

Occasionem erroris, quam diximus ita exhibet D' HULST, in articulo: La Question biblique, « Correspondant » tom. 134, 1893 I p. 201-61; Extrait, Paris Poussielgue pp. 55 p. 42-3: « Ce que nous proposons, ce n' est pas un système de retraite par échelons, bon tout au plus à multiplier nos défaites: c'est le choix d'une position solide qu'il ne sera jamais nécessaire de rendre et d'où nous pourrons porter nos incursions sur le pays ennemi. En dégageant le dogme de l' inspiration de toute solidarité avec des assertions contestables, qui ont pu prendre place dans le texte sacré sans être cautionnées par l' Esprit-Saint, *nous coupons court aux difficultés de demain comme à celles d' aujourd'hui.* On fera de ce principe les applications suc-

cessives que l'état de la science rendra opportunes ; mais on ne changera pas à chaque instant de point de vue dans la façon d'envisager l'autorité des Saints Livres tenant un jour pour l'inspiration verbale, le lendemain pour une inspiration de choses s'étendant aux moindres détails, un autre jour pour une inspiration qui ne garantit plus les *obiter dicta*. Un critérium large, ouvert d'avance aux exigences des faits connus et des faits à connaître, mais nettement séparé du critérium rationaliste par la croyance à l'inspiration des Ecritures, à leur autorité souveraine dans les matières de religion et de morale, sous le contrôle du magistère vivant et infaillible de l'Eglise, voilà ce qu'il nous faut dès maintenant pour défendre la parole de Dieu contre ses détracteurs ; voilà ce qui nous suffira dans l'avenir ».

Causa **erroris** praecipua pro adversariis ea erat, quod traditionem catholicam in hac re tam claram negligebant. — Rationes quas adversarii saeculi 19 afferunt, uti in caeteris fontibus theologicis, ita quam maxime in re dogmatica speculativa versantur. Haud paucas ex iis considerabimus, quando difficultates afferemus. Quaedam ex iis iam saeculo 16 reiectae sunt.

413. — August Rohling in articulo « Inspiratio bibliae eiusque momentum pro indagatione libera » in Natur u. Offenbarung XVIII p. 97-108 *inspirationem ad res fidei et morum restrinxit.* Eam ad ea sola se extendere, quae necessarium nexum cum doctrina religiosa habeant. Eiusmodi nexum vero in factis historicis tantum tunc adesse quando facta sint fundamenta, sine quibus ipsa veritas religiosa necessario concideret. Caetera sub inspiratione scripta non esse. Imo iudicium, num talia non inspirata vera sint necne, ad solam criticam spectare. Auctor sententiam suam retractavit. At haud paucis ea placuit.

414. — François Lenormant († 1883) Orientalista, laicus, in libro: « Les origines de l'histoire d'après la Bible » 2 v. Paris 1880-2 quibusdam in locis inspirationem ad eas sententias restringit, quae *doctrinas supernaturales* continent.

In praefatione docet : « Les décisions de l'Eglise n'étendent l'inspiration qu'à ce qui intéresse la religion, touche à la foi et aux moeurs, c'est-à-dire seulement aux enseignements surnaturels contenus dans les Ecritures ». Unde v. g. II p. 324 statuit : « Le tableau généalogique des peuples issus de Nôa'h est un document purement humain dans son origine et son caractère ». Id quod de documento intelligi vult etiam in quantum in Scriptura invenitur. Quare errores in hoc documento inveniri.

Non bene utique capitur, cur Lenormant hanc doctrinam de limitata extensione inspirationis proposuerit. Etenim primo ipse in veritate relativa

sententiarum dictarum aliud principium exegeticum proposuit, cum quo plurimos errores in Scriptura contentos cum eius inspiratione in omnibus sententiis coniungeret. — Porro etiam aliud affirmat: « Tout est inspiré dans la Bible, tout n'est pas révélé l. c. — Opus Lenormant 1887 in indicem librorum prohibitorum relatum est.

415. — Cardinalis **Henry Newman** sententiam falsam describit et multis argumentis stabilire nititur in articulo « On the inspiration of Scripture » in THE NINETEENTH CENTURY, Febr. 1884 p. 185-99 (Versio huius articuli habetur in « Correspondant » 25 Maii 1884 p. 677-694, e qua citationes desumo). Defendit et evolvit hanc sententiam iterum in « Postscriptum »: What is of Obligation for a Catholic to believe concerning the Inspiration of the Canonical Scriptures, in answer to Prof. Healy, item 1884. Sententias non inspiratas magis restringit quam Lenormant. Sunt eae tantum, quae *res minimi momenti* narrant.

« Par choses dites en passant (obiter dicta) j'entends des assertions comme celle que nous trouvons dans le livre de Judith, que Nabuchodonosor était roi de Ninive. En ce qui concerne l'existence d'obiter dicta (auxquels ne s'étend pas la garantie de l'inspiration), on peut dire qu'à l'encontre de ce qui existe dans les déclarations dogmatiques des papes et des conciles, il n'y a pas dans l'Ecriture d'obiter dicta doctrinaux, mais que ce nom ne pouvait être donné qu'à *des assertions de faits sans importance.* Les paroles des papes et des conciles peuvent se rapporter à la foi et aux moeurs et être dites affirmations faites en passant, parce qu'elles sont sans relation avec le but de la définition formelle, et n'impliquent pas l'intention d'obliger la conscience des fidèles. *Avec cette restriction, il ne paraît y avoir aucune difficulté à admettre l'existence d'obiter dicta relatifs à des faits, dans l'Écriture.*

Qu'on fasse attention, toutefois, que les miracles sont des faits doctrinaux et ne peuvent, dans aucun sens de la phrase, être considérés comme choses dites en passant » p. 693. — Alia exempla rei obiter dictae ponit p. 682: « terra in aeternum stat »; coelum esse super nos; nos non habere antipodas. In Postscripto § 3 adiungit notum illud de penula Pauli relicta Troade.

Iterum p. 683 campum rerum obiter dictarum restrictum esse tradit: « Devons-nous conclure de là, que la mention des faits dans l'Écriture n'est pas sous la garantie de son inspiration? Nous ne pouvons le faire; en voici la raison évidente... » Totam historiam sacram inde a Genesi usque ad Actus Apostolorum non esse nisi « une manifestation de la Providence, d'une part, interprétative de l'histoire universelle, sur une large échelle et avec des applications analogiques, de l'autre, préparatoire, figurative et prophétique du don de l'Evangile.... A ce point de vue *l'Écriture est inspirée, non seulement en ce qui regarde la foi et les moeurs, mais dans toutes les parties qui ont rapport à la foi, en y comprenant les faits* ».

P. 684 distinctionem, quam statuit, ita proponit... « ce qui est *énoncé formellement,* et ce qui est *dit en passant* » (obiter).

416. — D'Hulst, articulo citato n. 412 p. 183 maximam excitavit commotionem. Cito secundum Extrait.

Utique affirmat « je ne parle pas ici en mon nom, *j'expose les opinions* » (p. 42 nota, cf. p. 43). At visus est multis potius favere sententiis postea reprobatis. Qua de re hoc scripsit in epistola ad P. Brucker, impressam Etudes t. 59 (1893 II) p. 164-6 : Si ecclesia decideret, « mon attente cessera, la cause sera jugée. Je n'aurai point, même alors, à faire le sacrifice de convictions qui ne sont point formées dans mon esprit ; je renoncerai seulement à considérer *comme libres des opinions qui présentement me paraissent telles* ».

Rigorosam dicit eam sententiam, *omnes et singulas sententias* ita esse *inspiratas*, ut Deus id quod affirmat sacer auctor etiam ipse affirmet, atque consequenter ea omnia fide divina credenda sint.

« Pour les théologiens de cette école rigoureuse, toute énonciation reçoit de son insertion dans le texte inspiré une garantie divine d'exactitude. Quand saint Paul écrit à Timothée de lui rapporter le manteau et les parchemins qu'il a laissés chez Carpus, il est l'organe de la vérité divine comme lorqu'il développe la doctrine de la justification. Nous devons croire *de foi divine* qu'il avait oublié son manteau. Cette exégèse rigoureuse, appliquée à certaines parties de l'Ancien Testament, notamment à la chronologie des patriarches, laisse l'apologiste en face de difficultés que les découvertes modernes aggravent sans cesse et qui semblent à plusieurs véritablement insolubles ». l. c. p. 24.

Ex alia parte haec sententia de limitata extensione inspirationis auctori minus placet, quam ea, quae admittit, omnia esse inspirata, at inspirationem posse stare cum errore.

« Si l'inspiration est limitée *en étendue*, c'est qu'il y a des parties non inspirées dans la Bible. Or c'est là une formule nouvelle et périlleuse, difficile à concilier avec les textes des conciles, avec la doctrine de la tradition ; et l'on conçoit qu'un théologien prudent ait cru devoir en restreindre l'application à des fragments tout à fait accessoires. L'inconvénient est bien moindre et semble même disparaître si l'on maintient l'inspiration totale de l'Écriture, même à l'égard des moindres détails, sauf à restreindre, quant à certaines parties qui n'intéressent par la foi, cette garantie d'infaillibilité qui est ailleurs l'effet propre de l'inspiration.

Toujours est-il que, limitée aux *obiter dicta*, l'exception serait de peu de secours pour résoudre les grandes difficultés de l'exégèse. On dit que le cardinal Newman allait, dans l'expression intime de ses opinions beaucoup plus loin que dans ses livres. Mais c'est sur ses publications seulement qu'il nous est permis de le juger.

D'autres écrivains catholiques, en ayant bien soin de parler des effets de l'inspiration et non de son objet, ont déduit explicitement les conséquences du principe posé par Newman. Ils l'ont appliqué très largement, non plus seulement à des détails accessoires, mais à des parties considérables de la Sainte Écriture : d'abord à celles qui traitent ou semblent traiter des questions scientifiques, puis à d'autres passages, bien plus importants et plus considérables, qui présentent ou semblent présenter un caractère historique ». l. c. p. 26-7.

SAECULO 20.

417. — G. Bonaccorsi M. S. C., Questioni Bibliche, Bologna 1904 p. 214-63 proxime utique illud tantum sustinere vult, non omnia et singula asserta hagiographorum esse credenda fide divina et catholica. Cum vero hanc assertionem demonstrare nititur, etiam tales rationes affert, e quibus sequitur, omnia et singula *ne fide quidem divina* a nobis credi posse, quia non sint de fide divina quoad se, ut aiunt theologi. Etiam ipse simili modo sicuti Holden et Chrismann, rationibus theologicis innititur. — Unde ob similem rationem atque illi hoc loco, nisi fallor, nominandus est.

Omitto alios auctores. Inter quos etiam tales sunt, qui errores certe admittunt in Scriptura, et de quibus mihi difficile videtur discernere, num eos ex limitatione inspirationis repetierint, an ex compatibilitate erroris cum inspiratione, an ex utroque fonte.

418. — Quam late sparsi fuerint hi errores ante Encyclicam « Providentissimus ». — Diversi diversa proponunt. « La Controverse et le Contemporain » mense Martio 1886 p. 504 sq. affirmabat, sententiam de limitibus inspirationis atque de Scripturae errantia « rapidos progressus » fecisse; iamiam in aliquibus seminariis Galliae ut sententiam liberam doceri, inspirationem ad res fidei et morum limitari. Ita v. g. in libris quibusdam historicis ad paucos locos eam restringi.

D' HULST in epistola citata n. 416 p. 186 ad P. BRUCKER affirmat, ut videtur de Gallia agens: « La plupart de ceux qui ont manié les documents orientaux nouvellement découverts, s'accordent à trouver trop étroite et presque intenable la position prise par les théologiens. Et ce ne sont pas seulement des laïques, ce sont des membres très autorisés du clergé séculier et régulier qui entrent dans cette voie ».

Reponit BRUCKER p. 168 : « Nous sommes encore, grâce à Dieu, en communauté de convictions avec d'autres savants catholiques qui ne le cèdent à personne, ni pour la parfaite connaissance des découvertes historiques modernes, ni pour la science des saintes Écritures : tels en Allemagne,

le Dr Kaulen, le professeur si distingué de l'Université de Bonn, et qui dirige la vaste publication du nouveau « Dictionnaire de l'Église » (Kirchenlexicon) de Fribourg; le P. Cornely et les autres auteurs du Cursus Scripturae sacrae; à Louvain, Mr. le professeur Lamy et le P. Corluy; chez nous, pour ne pas nommer les vivants, le regretté abbé Trochon : et il serait facile d'en citer beaucoup d'autres bien plus nombreux assurément que ceux qui peuvent être comptés comme théologiens dans la nouvelle école ».

Propositio IX. — Omnes et singulas sententias Scripturae inspiratas esse, probatur e consensu Patrum.

Pars I. — Patres affirmant, omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas.

419. — Idea generalis argumenti. — Patres 1) data opera totam atque integram Scripturam in omnibus suis partibus, particulis, sententiis inspiratam esse, diversis modis *affirmant*.

2) Patres quasdam perfectiones Scripturae ex eius inspiratione derivant. Atqui *has perfectiones ad omnes et singulas sententias inspiratas* extendunt. Ergo omnes sententias inspiratas habent.

Tales perfectiones sunt: 1) Pronuntiant, omnes textus etiam minimos, qui de rebus profanis agunt, esse *ab errore liberos*. Ut solvant difficultates plurimas, quae nullo non tempore contra hanc inerrantiam omnium sententiarum Scripturae urgebantur, nunquam ad illud principium recurrunt, unum textum ex illis qui opposita continere videbantur, non esse inspiratum, sed semper aliquam aliam explicationem afferunt, quae, supposita omnium textuum inspiratione atque inerrantia, rationabilis illis esse videbatur.

2) Premunt, omnes et singulos textus, etiam minimos, eosque de rebus minimis, *ad nostram utilitatem scriptos esse*. Deum enim nihil frustra, nihil nisi ad sapientissimos fines eloqui.

3) Tantopere Patres premunt, omnes sententias inspiratas esse, ut multis ipsam singulorum verborum inspirationem docuisse videantur. Quidam theologi certe eam docuerunt.

S. Irenaeus.

420. — N. 229 p. 107 verba Sancti Irenaei: « *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae* », in

eorum contextu consideravimus. Iamvero ex hoc contextu manifestum est, Sanctum in hoc textu perfectionem Scripturarum, eiusque causam, quod scilicet a Deo dictae sunt, omnibus et singulis Scripturae sententiis attribuere. Etenim

1) Verba generalia sunt, porro in eodem contextu eandem notionem etiam his verbis exprimit: « *universis Scripturis* spiritualibus existentibus ». Quaedam quidem ex iis nos intelligere, quaedam vero non, etc.

2) Perfectio de qua in hoc loco proxime sermo est, *inerrantia* est. Agit enim contra Gnosticos, qui errores Scripturae admittebant. Atqui *inerrantiam ad omnes et singulos locos extendit.* Cf. contextum n. 224. Ergo etiam causam inerrantiae, quam dat, quod scilicet Deus Scripturam edixit.

3) In magno suo opere adv. haer., e quo hic locus desumptus est, argumenta ut apodictica profert ex narrationibus quoque historicis, uti v. g. de creatione in Vetere Testamento, de miraculis Christi in Novo, de minimis rebus ut v. g. l. 5 c. 15 n. 2 MG 7, 1165 Christum aliquando luto usum esse in sanando. Imo l. 2 c. 25 n. 1 col. 797-8 concedit, etiam e numeris probationes sumi posse, dummodo rectae regulae de eorum interpretatione observentur, etc.

Origenes.

421. — Omnes sententiae Scripturae inspiratae sunt. — In Ps. 1 n. 4 MG 12, 1082 haec clare statuit: « Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros Verbi ista subiecit, ne unquam nobis latere possit ratio, secundum quam divina sapientia *omnem Scripturam divinitus datam vel ad unam usque litterulam attigit* ». Quam curam cum ea comparat, qua creator omnia, quae creavit, tum magna tum parva, complectitur. Unde in Num. Hom. 27 n. 1 MG 12, 782 principium ponit: « *Non possumus hoc dicere de Sancti Spiritus litteris, quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum*, etiamsi aliquibus videantur obscura ». Quod principium positum ad minutissima quaeque applicat. V. g. in loco ultimo citato n. 2 ad descriptionem mansionum et profectionum filiorum Israel, quas Moses in libro Numerorum narravit.

Proposita expositione mystica versus Ierem. 51, 6 « Fugite de medio Babylonis » Hom. 21 in Ier. n. 2 MG 13, 536 ita pergit: « Secundum istiusmodi expositiones decet Sacras litteras credere

nec unum quidem apicem habere vacuum sapientia Dei. Qui enim mihi homini praecipit, dicens: Non apparebis ante conspectum meum vacuus, *multo plus hoc ipse agit, ne aliquid vacuum loquatur.* Ex plenitudine eius accipientes prophetae ea quae erant de plenitudine sumpta, cecinerunt; et idcirco sacra volumina Spiritus plenitudinem spirant, *nihilque est sive in prophetia sive in lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non a plenitudine divinae maiestatis descendat.* Quamobrem spirant in Scripturis Sanctis hodieque plenitudinis verba. Spirant autem his qui habent et oculos ad videnda coelestia, et aures ad audienda divina, et nares ad ea, quae sunt plenitudinis, sentienda ».

Id quod de Scriptura originali vel de versione inspirata intelligi vult. Supponit utique, se in genere textum critice non dubium ante manus habere. Id quod eo facilius faciebat, quod LXX versionem inspiratam habebat. Non excludit tamen curam de corruptionibus in textu tradito eliminandis. Cf. eius Hexapla. Porro in Mt. 1, 15 n. 14 MG 13, 1294. Cf. REDEPENNING (o. c. n. 221 p. 100) p. 259, 265, 272-3.

S. Hilarius Pictaviensis.

422. — S. Hilarius Pictaviensis in Psalm. 135 n. 1, 2 ML 9, 768 his verbis excitat fideles ut sollicite attendant ad lectionem Scripturae (i. e. librorum propheticorum), quae inter officia divina locum habebat: « Non est otiosus propheticus sermo, neque ex inanibus ac superfluis causis spiritalis loquela est. Si enim in viris prudentibus expectari id maxime solet, ut ea quae loquuntur, gravitate eorum doctrinaque digna sint, omnisque sermo non sit fortuitus et vagus sed ex rationabilibus causis profectus et expectatione audientium utilis, et auctoritati congruus disserentium: *quanto magis id de coelestibus eloquiis opinandum est, ut quidquid in his est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur.* Sed plerumque, immo semper, vitio nostro accidit, ut quae legi in ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longe ab his peregrinantibus negligamus... *Omnia autem quae in libris propheticis sunt, maximum humanae et salutis et doctrinae profectum in se habent, nostrique causa universa scripta sunt,* ut nunc nobis institutionem vitae innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis

naturaeque nostrae cognitionem tribuerent, nunc futurorum intelligentiam non spe tantum, sed ratione praestarent, nunc causas universitatis huius, ortusque proferrent ».

S. Basilius.

423. — S. Basilius in Hexaem. Hom. 6 n. 11 MG 29, 143 est in eo ut explicet, *cur Gen. 1, 16 duo luminaria dicantur magna.* Rationem suae tractationis hanc reddit: « Haec a me dicta sunt, ut luminarium demonstraretur magnitudo atque constaret, *in verbis divinitus inspiratis ne ullam quidem syllabam esse otiosam* ».

S. Chrysostomus.

424. — Omnes sententiae Scripturae inspiratae sunt. — In Gen. hom. 21 n. 1 MG 53, 175 hoc principium enuntiat: « *nihil scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt,* ideo, utpote a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum ».

In illud: « Et factum est anno quo mortuus est Ozias rex » haec habet: « Operae pretium est inquirere primum, cur propheta nobis tempus designarit; neque enim hoc fortuito temereve facit. Nam *prophetarum ora Dei sunt os: tale vero os nihil dixerit obiter et extra rem.* Ne igitur nos obiter et perfunctorie audiamus ». Qui fodiant metalla saepe aurum et terram commixta invenire. « In Scriptura autem non est eadem ratio. Neque enim proponitur aurum terrae commixtum, sed purum est aurum: Eloquia, inquit, Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, siquidem Scripturae non sunt metalla quae indigeant operariis, sed thesaurum praebent paratum iis, qui quaerunt opes in ipsis reconditas. Satis est enim introspexisse, ut omni expleti fructu discedatis; satis est tantum aperuisse, ut illico videas gemmarum splendorem. Haec autem mihi non temere dicta sunt neque fortuito produxit sermonem, sed quia sunt homines quidam opifices, qui posteaquam Sacros Libros in manus sumpserint, deinde repererint vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem, illico praetercurrunt, et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis. *Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere, Nulla est dictorum utilitas?* » Homil. 2 in illud: « Vidi Dominum » n. 2 MG 56, 110.

425. — Applicat hoc principium ad diversa. — Loco priore *ad catalogum nominum, annorum vitae* etc., qui c. 5 Geneseos a v. 1-31 texitur. — Loco ultimo ad *illam notitiam historicam de anno*, in quo propheta visionem suam habuit.

In homil. 1 ad populum Antioch. n. 1-2 MG 49, 17-19 ad illud « *Modico vino utere* » ex 1 Tim. 5, 23. De qua admonitione S. Pauli haec ait: « Quid quod praeceptor non tantum imperavit, sed et litteris inseruit, tamquam aereae columnae, datae ad ipsum (Timotheum) epistolae insculpens; nec erubuit huiusmodi res scripturae mandare et ad discipulum publice legendas mittere? Ut igitur discas quod non tantum non redundet admonitio, sed necessaria et utilissima sit; et non a Paulo, sed a Spiritus gratia factum sit, ut hoc non modo diceretur, sed etiam litteris traderetur et ad omnes posteros per hanc epistolam deveniret: ad ipsam mox probationem veniemus ».

Homil. 1 in illud « Salutate Priscillam et Aquilam » n. 1 MG 51, 187-9 *ad salutationes,* quae Rom. c. 16 recensentur.

Homil. 15 in Genes. n. 1 MG 53, 119-20 *ad oppositionem, quae per vocem « vero » exprimitur* Gen. 2, 20: « Adae vero non inveniebatur adiutor similis illi ». — Plura cf. HAIDACHER (o. c. n. 223 p. 101) p. 27-33.

S. Hieronymus.

426. — Omnes sententiae Scripturae inspiratae sunt. — Iam audivimus, S. Doctorem ideo Scripturas universas vocare unum librum, quia, non obstante diversitate rerum dictarum, « uno scriptae sunt Spiritu Sancto. » Praeterea totam Scripturam sine errore esse affirmat. Ep. 46 ad Marcellam n. 6 ML 22, 486 eam docet: « omnem Sanctam Scripturam non posse esse sibi contrariam ». Alia ratio cogitari nequit quam quia e sensu Hieronymi a Spiritu Sancto inspirata est.

In specie *agit contra eos, qui ea quae non videntur ad religionem spectare, ab inspiratione eximebant,* atque ideo *epistolam ad Philemonem* inspiratam non habebant, cum talia contineret uti: « praepara mihi hospitium ». Quos in Prologo commentarii in Philem. ML 26, 602 ita redarguit: « Sed mihi videntur, dum epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes, quid in singulis sermonibus lateat virtutis ac sapientiae. Quae,

operantibus vobis, et *ipso nobis Sancto Spiritu suggerente, quo scripta sunt,* suis locis explicare conabimur ». Etiam in ordine naturae Deum tum maxima condidisse uti coelum et terram, tum minima, uti v. g. formicas.

Inspiratae sunt v. g. *omnes historiae Veteris Testamenti* uti vidimus n. 238 p. 109.

427. — Inspiratas etiam habet S. Hieronymus eas res in scripturis, quas ad scientias profanas pertinere putat. — Ita Com. In Isaiam Prol. ML 24, 18 sq. haec de materia huius libri praemittit: Praesentem Scripturam continere « Domini sacramenta. Quid loquar de *physica, ethica et logica?* Quidquid est sacrarum Scripturarum, quidquid potest humana lingua referre et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur ». — Quam S. Doctoris sententiam illustrant etiam alii loci. V. g. in Apologia adversus libros Rufini l. 3 n. 29 ML 29, 479 de quaestionibus, quae ad sententias philosophicas proxime referri videntur, haec habet: « Urges, ut respondeam *de natura rerum.* Si esset locus, possem tibi vel Lucretii opiniones iuxta Epicurum, vel Platonis atque Zenonis secundum Academicos et Stoicos dicere. Et ut ad ecclesiam transeam, ubi norma est unitatis, multa et Genesis et Prophetarum libri ac Ecclesiastes nobis de huiusmodi quaestionibus suggerunt ». Quae quales a S. Doctore intelligantur v. ex iis quae immediate subiungit. Sunt ea, quae sciunt « mathematici »; « astrologia »; « coeli et siderum cursus »; « quod Pharus docuit ».

E S. Hieronymi sententia omnes tales sententias esse inspiratas, clarissime v. g. ex hoc loco patet. Docet in epist. ad Paulum, ep. 30 n. 1 ML 22, 441-2: « Nudius tertius cum centesimum octavum decimum Psalmum tibi insinuare conarer, et dicerem, omnem moralem locum in ipso esse comprehensum; et quomodo Philosophi solent disputationes suas in Physicam, Ethicam, Logicamque partiri, ita et *eloquia divina aut de natura disputare, ut in Genesi, et in Ecclesiaste, aut de moribus, ut in Proverbiis et in omnibus sparsim libris, aut de Logica, pro qua nostri Theoricen* (Inspectivam, Contemplativam) *sibi vindicant,* ut in Cantico Canticorum, et in Evangeliis (licet Apostolus saepe proponat, assumat, confirmet atque concludat, quae propriae artis dialecticae sunt), studiosissime perquisivisti, quid sibi velint Hebraicae litterae ».

Cf. praeterea SANDERS, Jérome (o. c. n. 223 p. 101) p. 109-10; 125. — LUDWIG SCHADE, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus 1910 p. 133.

S. Augustinus.

428. — Omnia inspirata sunt, quae Scriptura narrat de scientiis profanis ad naturam rerum aspectabilem pertinentibus. — Etenim primo docet S. Augustinus De Gen. ad lit. l. 1 c. 21 n. 41 ML 34, 262 « respondendum... est hominibus qui calumniari Libris nostrae salutis affectant; ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; *quidquid* autem *de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicae fidei contrarium protulerint*, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione *credamus esse falsissimum:* atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae absconditi (Coloss. n. 3), ut neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque falsae religionis superstitione terreamur ». *Cur?* Respondet in eodem opere De Genes. ad lit. l. 2 c. 10 n. 21 ML 34, 271: « Sed ait aliquis, quomodo non est contrarium iis, qui figuram sphaerae coelo tribuunt, quod scriptum est in Litteris nostris, qui extendit coelum sicut pellem (Psal. 103, 2)? Sit sane contrarium, si falsum est quod illi dicunt: *hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potius quam illud quod humana infirmitas coniicit.* Sed si forte illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat; demonstrandum est hoc quod apud nos de pelle dictum est, veris illis rationibus non esse contrarium: alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, ubi coelum dicitur velut camera esse suspensum (Isai. 40, 22 sec. LXX). Quid enim tam diversum et sibimet adversum, quam plana pellis extensio, et camerae curva convexio? Quod si oportet, sicuti oportet, haec duo sic intelligere, ut concordare utrumque, nec sibimet repugnare inveniatur; ita oportet etiam utrumlibet horum illis non adversari disputationibus, si eas forte veras certa ratio declaraverit, quibus docetur coelum sphaerae figura undique esse convexum, si tamen probatur ».

In rebus historicis omnibus idem principium S. Doctor sequitur. — De civ. Dei l. 18 c. 40 ML 41, 600 agit *de numero annorum, qui inde a primo homine completi sint.* Esse tenendum quod de iis Scriptura narret, quippe quae enarret Deus. « *Cui enim melius narranti praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixit,*

quae praesentia iam videmus?... Nos vero in nostrae religionis historia, *fulti auctoritate divina*, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant caetera in saecularibus litteris; quae seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt, quo recte beateque vivamus ».

PARS II. — **Patres firma et rata sententia docent inspirationem omnium et singularum sententiarum ut rem cum fide connexam.**

429. — 1) **Patres inspirationem universae Scripturae rata et firma sententia docent.** — Non invenitur ulla negatio ex parte huius vel illius Patris, nulla dubitatio, nulla propositio rei ac si tantum probabilis esset. Statim ab initio rei christianae absoluta firmitas manifestatur tum in asserenda hac doctrina, tum in eius applicatione ad omnia et singula facta Scripturae, ac si de re plane evidenti ageretur.

430. — 2) **Inspirationem universae Scripturae docent ut rem cum fide connexam.** — *a)* Certissime, uti in parte de inerrantia Scripturae videbimus, hanc eius perfectionem quae tanti momenti est pro vita christiana practica, proponunt ut rem cum fide connexam. At *si hanc inerrantiam, ergo etiam causam, e qua sola hanc perfectionem descendere docent.* Iamvero unicam causam inerrantiae Patres norunt: omnium et singularum sententiarum inspirationem.

431. — *b)* Si rationem intrinsecam respicimus, sine dubio *doctrina de fonte revelationis publicae*, ergo etiam de ratione qua talis fons constituitur, est res ad fidem et mores spectans. Iamvero Scriptura a Patribus quam maxime consideratur in quantum est fons revelationis publicae, inspiratio autem singularum sententiarum nihil aliud est quam ratio, qua in concreto hic fons ut talis constituitur.

432. — *c)* Ratio, quam reddimus, eo plus ponderis habet, quod haec veritas in pugna contra haereticos et ethnicos tantopere inculcanda erat atque a Patribus de facto inculcabatur.

Haeretici procedebant e multis erroribus quos sive e tot doctrinis theticis sive e tot narrationibus historicis Scripturae haurieudos esse affirmabant, atque ad id perveniebant ut negarent Scripturam universam esse inspiratam. Patres ex opposito saepe ita procedebant: Contra Gnosticos et Manichaeos premebant et coram catho-

licis ita esse procedendum inculcabant: Absolute certum esse, universas Scripturas spirituales existere, ergo eas nullum errorem docere, consequenter omnes explicationes haereticorum falsas esse, sive loci quos obiiciebant in se ipsis facile solvi possint, sive non. Deinde e quacumque re in Scripturis contenta argumentabantur, ut e verbo Dei, quin ullam inquisitionem instituerent, num locus sit de rebus fidei et morum necne. (Cf. v. g. IRENAEUS n. 420 p. 188-9).

Praeterea « propter impugnationes.... *gentilium* philosophorum contendentium auctores nostrorum librorum errasse sive in referendis factis historiae profanae sive in attingendo res inquisitioni scientiarum profanarum subiectas, Patribus non modo non defuit occasio, sed incubuit omnimoda necessitas ex instituta diligenti in regulam fidei obiectivam inquisitione, examinandi ac decernendi utrum ad res praedictas sese extenderet scripturarum inspiratio. Et quia vi inquisitionis a se institutae Patres unanimitate saltem morali venerunt in sententiam asserentem inspirationem scripturarum esse illimitatam, propterea contendimus hanc sententiam esse proxime definibilem ». DE SAN n. 373 p. 296.

432[bis]. — *d) Etiam quando de inspiratione singularum rerum profanarum agitur*, vel quando de principio, omnia esse inspirata agunt, *data opera inspirationem ex apostolica traditione repetunt.* Quoad inspirationem prioris generis rerum cf. v. g. n. 234 p. 107 **Origenes,** qui historiam de haereditate Ruben et Gad inspiratam esse docet « sicut traditio maiorum tenet ». — Quoad inspirationem Scripturae universae audiatur v. g. **S. Gregorius Nyssenus,** contra Eunomium l. 7. paulo post initium MG 45, 743. « Sic nos qui omnium maxime miserandi dicimur, ab Apostolo instituti, ex littera quae occidit, ad spiritum vivificatorem transimus, edocti ab eo qui in paradiso arcana ineffabilia dicit, quod quaecumque Sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata ».

Propositio X. — Immerito doctrinam de restrictione inspirationis e Patribus firmare tentarunt.

Pars I. — S. Augustinus non docuit, res profanas non esse scriptas a Spiritu Sancto.

433. — Non raro adversarii in libris suis recurrunt ad S. Augustinum. E quo quis in forma sic argumentari posset:

Obi. — *S. Augustinus clare statuit hoc principium universale, res profanas Deum docere noluisse.* Iamvero quod docere noluit hoc certe non asseruit. Ergo res, quae mere profanae sunt, ab ipso Deo in Scriptura non sunt assertae, ergo non sunt ab ipso Deo per hagiographum conscriptae.

Prob. mai.: De Genesi ad litt. l. 2 c. 9 n. 20 ML 34, 270 S. Augustinus affirmat, « Spiritum Dei, qui per ipsos (auctores sacros) loquebatur, noluisse ista (profana) docere homines, nulli saluti profutura ». Eadem ratione docet in scripto « De actis cum Felice Manichaeo » l. 1 c. 10 ML 42, 525 «... non legitur in evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos. Sufficit autem ut homines de his rebus (profanis) quantum in schola (in qua res profanae docentur) didicerunt, noverint propter humanos usus ».

434. — **R.** Sensus talium locorum S. Augustini is est: S. Spiritus neque in traditionibus neque in S. Scriptura docet disciplinas mere profanas ex professo, ex integro; imo ea ipsa singula, quae ex iis in Scriptura profert, non profert propter dignitatem eis intrinsecam et propter eas ipsas, sed propter eorum relationem cum rebus religiosis. Non vero sensus talium locorum est: Spiritus ea non vere scripsit, quae etiam de rebus profanis in Scriptura continentur.

Expl. 1) Videbimus in thesi de inerrantia, S. Augustinum omnem omnino errorem etiam in rebus profanis, ideo a S. Scriptura removere, quia a Spiritu S. scripta sit. Ergo ea sola explicatio possibilis est, quam proposuimus. 2) Veritas huius responsi indirecti etiam directe eruitur e contextu locorum de quibus agitur.

435. — Ac primo quidem *quoad locum De Gen. ad lit. l. 2 c. 9.* — In eo est S. Augustinus ut ostendat, certe verum esse, quidquid

de figura coeli materialis a Scriptura dictum sit, quia a Deo dictum sit. Iamvero sibi facit hanc obiectionem: « Sed, ait aliquis, quomodo non est contrarium his, qui figuram sphaerae coelo tribuunt, quod scriptum est in libris nostris: « qui extendit coelum sicut pellem? » Respondet vero ita: « Sit sane contrarium si falsum est, quod illi dicunt: *hoc enim verum est, quod divina dicit auctoritas*, potius quam illud, quod humana infirmitas coniicit ». Quod responsum per n. 9 prosequitur eo quod *inter se conciliare studet locos eos diversos, quibus forma opposita coelo ascribi videtur.*

436. — *Quoad locum « De Act. cum Felice Manichaeo ».* — In quo scripto status quaestionis hic est: Felix probare vult, Mani esse eum paracletum, quem Iesus se daturum esse promisit. Quod ita probat: Affirmat loco maioris, a Christo ecclesiae suae promissum esse eiusmodi Spiritum Sanctum, qui eam simpliciter omnia doceat. Adducit minorem et consequentiam: « Et quia venit Manichaeus et per suam praedicationem docuit nos initium, medium et finem; docuit nos de fabrica mundi, quare facta est et unde facta est, et qui fecerunt; docuit nos quare dies et quare nox; docuit nos de cursu solis et lunae — quia hoc in Paulo non audivimus, nec in caeterorum apostolorum scripturis, hoc credimus, quia ipse (Mani) est Paracletus ».

Cui Augustinus respondet, « omnem veritatem », in quam secundum Christi promissionem apud Io. 16, 13 Spiritus Sanctus his in terris ecclesiam introducere debeat, non esse scientiam undequaque perfectam harum rerum mundanarum; finem Spiritus Sancti non esse in his rebus ita complete instituere ut magister talium disciplinarum profanarum discipulos instituit, ut is qui talia ex professo docet. Sed illum esse finem Spiritus Sancti, complete nos instituere de rebus spiritualibus, ea scilicet mensurae plenitudine quae ad vitam aeternam perducat. Unde post verba in obiectione posita S. Doctor ita prosequitur: « Christus autem venturum Paracletum dixit, qui inducat in omnem veritatem; sed non ibi ait, initium, medium et finem, non ait solis et lunae cursus. Aut si putas hanc doctrinam ad illam veritatem pertinere, quam per Spiritum Sanctum Christus promisit, interrogo te, quot sint stellae? Si accepisti Spiritum illum, de quo dicis, ad quem pertinet docere ista, quae ego dico ad disciplinam et doctrinam christianam non pertinere, oportet ut renunties et respondeas mihi. *Debitorem enim*

te fecisti, ut si quid de talibus interrogavero, si non responderis, non in te appareat Spiritus ille, de quo dictum est « Inducit in omnem veritatem », si illa est veritas quo ista pertinent. Itaque elige tibi utrum velis et paratus sis mihi de his rebus respondere, tamquam homo, qui accepisti Spiritum, qui introducit in omnem veritatem et dicis, quia ad ipsam veritatem pertinet scire ista mundana. Itaque ego tibi possum ea dicere, quae pertinent ad doctrinam christianam; tu autem, qui putas ad eam pertinere quomodo sit factus mundus et quae agantur in mundo, ad omnia mihi necesse est respondeas ».

PARS II. — **Patres non docent, singulos quosdam textus non esse a Spiritu Sancto conscriptos.**

437. — Quoad quosdam ex his textibus explicandos cf. v. g. MELCHIOR CANUS, Loc. theol. t. 2 c. 16 arg. 2 ed. Patav. 1734 p. 72; c. 18 Resp. ad 2 p. 76. — DENZINGER, Vier Bücher etc. II, p. 180, 221-3. — SCHMID, n. 25 p. 18-20. — DE SAN, De Div. Script. p. 274-5, 296-7. — SCHIFFINI, n. 71 p. 199-205.

Responsum generale ad eiusmodi difficultates. — In testimoniis Patrum afferendis nullum invenitur, quod non ex ipso proximo contextu atque doctrina aliunde nota Patris ita explicari et possit et debeat, ut doctrinae quam dedimus non contradicat. Generatim Patres loquuntur non de scriptione divina, sed de obiecto iudicii divini, a Deo conscripti. Quod obiectum iudiciorum suorum, quae Deus in Scriptura ad nos scribendo direxit, utique non semper est ipse Deus vel aliqua perfectio divina, sed saepissime aliquid creatum. Aliquando utique de scriptione divina loquuntur. At si hoc evenit, nequaquam demonstrari potest secundum Patres ei scriptioni defuisse ullum elementum, quod ad inspirationem veram necessarium est.

Origenes.

438. — Obi. 1. — Origenes, hom. 16 super Numer. n. 4 MG 12, 693: « Sermo qui apud Ionam scriptus est et non factus, *a Iona potius quam a Deo prolatus esse videtur* ». Addit Origenes: « Non enim semper ea, quae per prophetam dicuntur, quasi a Deo dicta suscipiantur oportet ». Praecipue ad hunc locum CHRISMANN pro sua sententia remittit.

R. In loco de Iona agitur *de sermone scripto ut scripto*, vel de quaestione, num omnia, quae in S. Scriptura scripta sunt a Deo

ut causa principali scripta sint, n.; agitur de quaestione, num propheta aliquando putare possit, aliqua, quae ore elocutus est, sibi a Deo esse revelata, quae tamen revelata non erant, c.

439. — Orig. in hom. citata n. 3 et 4 col. 692-694 agit de quaestione, qua ratione Ionas dicere potuerit: « *adhuc quadraginta dies et Ninive destruetur* », *cum tamen de facto post quadraginta dies destructa non sit.* Solutionem duplicem proponit. Prior, quam n. 3 habet, affirmat, Deum mala tantum conditionate minari, altera quam n. 4 evolvit, in eo est, ut doceat, prophetam quaedam quidem Ninivitis ore praedicasse, quae revera a Deo revelata erant, quaedam vero, quae putavit revelata, at de facto revelata non erant.

Ut hanc secundam solutionem commendet, provocat ad Mosen, qui auctoritate propria non divina mandaverit dari libellum repudii; ad Paulum, qui dixerit: « praeceptum Domini non habeo, consilium autem do »; ad similia alia. Concludit col. 694 B: « Unde similiter etiam in caeteris prophetis aliqua quidem Dominus locutus est et non prophetae, alia vero prophetae et non Dominus, et sic videbitur obiectio intentata dissolvi, cum non tam sua quam prophetae verba Dominus revocat ac mutat in melius. Sed magis arbitror absolutionem priorem (scilicet agi de minis tantum sub conditione impoenitentiae a Deo prolatis), totius Scripturae sensibus convenire, et illis praecipue dictis, quibus patiens, et multae misericordiae et poenitens super malitias dicitur Deus ».

In utraque solutione supponitur, Deum per hagiographun nobis scripsisse, quae Ionas dixit, sive illa Ionae verba hoc sensu sive illo explicanda putas. Dicendum ergo est, de obiecto diverso scriptionis divinae agitur non vero de scriptione sive divina sive humana. Quaeritur scilicet num id, quod in hoc casu Ionas ore Ninivitis dixit, fuerit aliqua divina revelatio quae vere talis obiective fuerit, an potius aliqua illusio humana quae a Iona falso pro revelatione divina habita fuerit.

440. — Obi. 2. — Etiam clarius, ut videtur, Origenes sententiam eandem proponit in prooemio Commentarii in Io. n. 5 MG 14, 27. Laudat eos qui « sapientiae quidem plena et credibilia et vehementer sancita apostolica (scripta) esse dicant, sed iis neutiquam consimilia: « Haec dicit Dominus omnipotens ». Et hanc ob causam inspice, *complectatur nunc suas Epistolas Paulus cum dicit: « omnis scriptura afflatu prodita utilis est »*, et cum ait: « *Dico ego, non Dominus* »; et illud: « *Sic in omnibus Ecclesiis ordino* »; itemque: « *Qualia passus sum* Antiochiae, Iconii, Lystris » et his similia, interdum ab ipso *scripta*, et iuxta potestatem, *non* tamen *secundum accuratam sinceritatem sermonum, qui sunt ex divina inspiratione* ».

R. Verba certe duriora sunt. At non puto, vel hoc loco Origenem id docere, quod obiicitur. Etenim *a)* numquam alias in tot

difficultatibus, quas in textibus explicandis patitur ad hoc medium recurrit, quo vix ullum commodius fuisset, sed continuo etiam singularum litterarum Scripturae inspirationem premere multis videtur. Cf. expositionem.

b) At praeter hoc responsum indirectum, aliud duplex dari potest *α)* Textus receptus loci obiecti non videtur ita certus esse.

Etenim Preuschen in sua nova editione Com. in Io. : Origenes Werke tom. 4 1903 CB 10 p. 7 verba ita exhibet: « *τὴν μὲν ἐξουσίαν.... ἀποστολικὴν.... οὐ μὴν τὸ εἰλικρινὲς τῶν ἐκ θείας ἐπιπνοίας λόγων.* »

β) Intentio Origenis in toto loco est certe in eo, ut inculcet, qua ratione evangelia inspirata sint praeferenda caeteris scripturis sacris postea et antea compositis. Respondet, ea esse praeferenda *ratione materiae.*

Etenim I. « Hoc etiam ostendendum est, veterem Scripturam non esse Evangelium, quae venientem non ostendit, sed praenuntiat ». « Non erit Evangelium, qualiscumque tandem illa fuerit Scriptura, quae sub nomine Epistolarum fuerit, si conferatur cum Scriptura, quae actiones, passiones, sermones Iesu contineat » col. 36. — II. Cum quo convenit, quod omnia argumenta, e quibus demonstrat, epistolas inferiores esse, desumuntur e parte materiae; non dici nempe in his epistolis: « Haec dicit Dominus omnipotens », sed « Dico ego non Dominus », « Sic in omnibus Ecclesiis ordino », « Qualia passus sum », etc. — III. Accedit magna paritas cum loco priore, quem mox tractavimus.

Unde probabile est « *τὸ εἰλικρινὲς τῶν ἐκ θείας ἐπιπνοίας λόγων* » significare aliquo modo eam perfectionem, quae propria est revelatis sermonibus divinis qui in Scriptura referuntur, in oppositione ad ea in Scriptura contenta, quae ex humana notitia hauriuntur.

S. Ambrosius.

441. — Obi. 3. — S. Ambrosius in Lc. l. 8 n. 8 ML 15, 1767 de libello repudii haec docet: « Ostendit autem hic locus, *quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta* ».

R. — E contextu verba obiecta hanc interpretationem accipiant necesse est: S. Ambrosius legem, quam ab homine Mose propria, humana auctoritate latam esse putavit, opposuit legi, quam solam in hac materia a Deo latam esse statuit; non vero scriptionem legis humanae opponit scriptioni legis divinae. De obiecto scriptionis, de lege, verba S. Doctoris intelligenda sunt, non de ipsa scriptione.

Contextus hic est: « Sed fortasse dicet aliquis: Quomodo Moyses mandavit dari librum repudii, et dimittere uxorem (Deuter. 24, 1)? Qui hoc

dicit Iudaeus est; qui hoc dicit Christianus non est. Et ideo, quia hoc obiicit quod obiectum est a Domino, respondeat ei Dominus: Ad duritiem, inquit, cordis vestri permisit vobis Moyses dare librum repudii, et dimittere uxores: ab initio autem non fuit sic (Mt. 19, 8). Moyses permisit, inquit, non Deus iussit; ab initio autem Dei lex est.... Ostendit autem hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta. Unde et Apostolus :.... Caeteris, inquit, ego dico, non Dominus.

Quam explicationem commendat primo quod opponit: « Moyses permisit, non Deus iussit »; secundo, quod provocat ad similem locum Pauli, qui ita interpretandus est; tertio, quod S. Ambrosius non temere sibi contradicere putandus est. Unde dura quidem est expressio, at non inintelligibilis. — Ita explicant v. g. Kellner (o. c. n. 223 p. 101), Pesch n. 77 p. 74. — Addit Kellner l. c.: « Sine dubio S. Ambrosius ex intentione elegit vocem « scripta », quae ex una parte permissionem, ex alia parte et secundo loco iussionem includere poterat ». — Forte ideo, etsi minus accurate, tamen nihil falsi subinferendo, S. Doctor adhibuit terminum magis determinatum « Deus scripsit legem » loco termini magis indeterminati « Deus tulit legem », quia ea aetate in regno Romano leges scriptione ferri solebant.

S. Basilius.

442. — Obi. 4. — *S. Basilius*, contra Eunomium l. 3 c. paenultimo MG 29, 766 differentiam inter Spiritum Sanctum et creaturam etiam hac ratione ostendit. Postquam enumeravit locos, in quibus hagiographi se a Deo distinguunt vel suos humanos affectus promunt, ita pergit: « *Spiritus autem non sic. Non enim modo sua, modo quae Dei sunt loquitur (id namque creaturae est); verum omnia Spiritus verba Dei verba sunt* ». Ergo docet, plurimos locos Dei verba non esse, ergo ea a Deo scripta non esse.

R. 1) *S. Basilius hoc ipso loco docet, totam Scripturam esse divinitus inspiratam:* « omnia enim quaecumque Spiritus et Filius loquuntur, Dei sunt oracula. Et eam ob causam omnis Scriptura divinitus inspirata, etiam utilis est, quippe quam locutus sit Spiritus ».

2) Verba in obiectione posita secundum contextum ita explicanda sunt: Hagiographi semper quidem, quaecumque scribunt, Deo impellente scribunt. At diversitas obtinet secundum materiam, quam scribunt. Scilicet *partim humana de se confitentur, quippe cum homines sint*, uti v. g. se natos esse, orare; *partim divinas revelationes seu* « quae Dei sunt » *annuntiando ita loquuntur:* « *Haec dicit Dominus* ». *S. Spiritus autem, cum de iis obiectis loquitur, quae sibi, suae essentiae propria sunt, sibi ipsi nihil attribuit quod passionem*

vel humanam voluntatem scientiamve arguat, sed tantum ea, quae ex Patre et Filio procedendo hausit et quae consequenter divinam naturam decent. Unde ex talibus eius verbis divina eius natura demonstrari potest.

S. Chrysostomus.

443. — Obi. 5. — S. Chrysostomus in Act. apost. c. 23 v. 6-8 hom. 49 n. 1 MG 60, 337 ita exorditur n. 1: « *Rursum (Paulus) humano modo disserit, nec semper gratia fruitur ;* sed etiam aliquid a seipso permittitur afferre, id quod sane fecit: et in hoc et in sequenti rationem reddit, ut scindat multitudinem contra se male coniunctam ».

R. Homilia est in illum locum, in quo a S. Luca narratur, S. Paulum sermone, quem ore coram Pharisaeis et Sadducaeis protulit, asseruisse, se quoque esse Pharisaeum qui resurrectionem credat atque proinde ab iis ob incredulitatem mortis damnandus non sit. Qua ratione periculum mortis, quod Iudaei minabantur, effugit. S. Chrysostomus est ergo in eo, ut celebret prudentiam Pauli in argumentis inveniendis, quibus Pharisaeos a sententia dimoveat.

Ergo 1) S. Doctor omnino non agit de S. Paulo ut scribente, sed de eo ut loquente ore ea, quae postea S. Lucas ut inspiratus conscripsit. Ergo omnino *non est sermo de inspiratione biblica.* 2) *Neque agitur de quaestione num S. Paulus fuerit inspiratus ad loquendum necne*, num impulsu divino inspirativo actus, locutus fuerit S. Paulus, an sua humana voluntate. Sed affirmatur, materiam sermonis, i. e. argumenta illa apta, in eo casu ei non fuisse data per infusionem Spiritus Sancti, sed eam eum debuisse haurire e proprio ingenio propriaque diligentia.

444. — Obi. 6. — In 1 Cor. hom. 32 ab initio n. 1 MG 61, 265 idem S. Doctor generatim docet: « *Qui spiritu omnia loquitur, non laborat* ». *Iamvero* in infinitis Scripturae locis *hagiographorum labor manifestus est.* — Porro S. Doctor commendat S. Pauli ingenium et diligentiam in scribendis suis epistolis. Cf. v. g. HAIDACHER, o. c. p. 15. V. g. hom. 2 in ep. ad Ephes. n. 1 MG 62, 17: « Ubique Paulus ineffabilem Dei in nos benignitatem studuit ostendere, quoad eius fieri potuit. Nam quod accurate non possit, audi quid ipse dicat: « O altitudo divitiarum etc. »

R. 1) Respondeo *indirecte.* — Absoluta cum evidentia S. Doctor docet inspirationem omnium et singularum sententiarum. Si ergo hoc non obstante ex una parte aliquando docet, eum, qui Spiritu

loquatur, non laborare, ex alia parte aliquando Pauli laborem in scribendo admisit, potius dicendum esset, eum in aliqua proprietate inspirationis sibi contradixisse aut errasse, quam ut ex uno loco difficiliori concluderetur eum negasse doctrinam infinities suppositam et applicatam.

2) Responsum *directum.* — Sermo est non de inspiratione biblica, sed de distinctione inter diversa alia *charismata, scilicet inter ea, quae sunt propria apostolo, prophetae, Novae Legis doctori.* Docet S. Chrysostomus, secundum doctrinam S. Pauli 1 Cor. 12, 28 charisma extraordinarium apostolatus sublimius esse dono prophetiae, donum prophetiae vero sublimius dono doctoris.

445. — « Nam qui prophetat, omnia Spiritu loquitur; qui docet autem, aliquando ex propria mente disserit: Ideo dicebat: Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime autem, qui laborant in verbo et doctrina. Qui autem Spiritu omnia loquitur, non laborat; ideoque post prophetam illum posuit, quoniam illud quidem totum est donum, hoc autem etiam humanus labor. Etenim ex se quoque multa loquitur, quae tamen cum divinis Scripturis consonant ».

Ob hunc contextum assumere debebis Sanctum Doctorem hoc loco intellexisse prophetas sensu strictiore sumptos, i. e. eos qui revelationes divinas accipiunt, acceptasque cum hominibus communicant. Quodsi ita res sumitur, sane nefas est, concludere, S. Doctorem omnia quae de prophetis specialiori modo intellectis disserit, applicata velle ad prophetas generaliori modo intellectos, i. e. ad eos omnes, qui nomine Dei loquuntur. Si autem ita locum intelligis, omnia in doctrina S. Chrysostomi inter se congruunt. — De facto utique prophetas hoc loco a S. Paulo non ita intelligi, ut S. Doctor putat, v. Cornely ad l. p. 387.

S. Gregorius Magnus.

446. — Obi. 7. — S. Gregorius M. in Ezech. l. 1 hom. 1 n. 16 ML 76, 795 admittit: « Sciendum quoque est, quod *aliquando prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo Spiritu proferunt,* et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur ».

R. *S. Gregorius nulla ratione agit de hagiographo* librum inspiratum conscribente, sed tantum de iis viris, qui saepe vaticinia vere talia eloquuntur et generatim quidem ore. Docet, aliquando etiam eiusmodi prophetas erronee putare, se prophetice loqui. Quare in ipso hoc contextu n. 15-18 col. 792-4 criteria dat, unde distingui possit sermo propheticus i. e. vaticinium vere tale, a non prophetico,

i. e. a vaticinio quod ex errore putabatur divinum. Unde hic locus in aliis disciplinis saepius tractatur. Quare perspicuum est, hic a S. Doctore nequaquam negari existere criteria, quibus constet, omnia quae in S. Scriptura leguntur, esse prophetice conscripta.

Tertullianus.

447. — Obi. 8. — Tertullianus de exhortatione castitatis c. 4 ML 2, 919 agit de loco Pauli 1 Cor. 7, 39, 40: « Mulier... si dormivit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium; puta autem quod et ego Spiritum Dei habeam ». De quo loco inter alia haec ait: « *Cum veniam facit, hominis prudentis consilium adlegat. Cum continentiam indicit, Spiritus Sancti consilium affirmat* ». Ergo putat, incisi priorem partem non esse a Spiritu Sancto prolatam.

R. 1) Hoc scriptum a Tertulliano compositum est, cum iam Montanista factus esset, eoque rigorosam suam sententiam defendere vult, secundas nuptias « quandam speciem stupri esse ». Fortasse non nimis mirum esset, si ad vindicandas suas sententias ab ecclesiastica regula difformes, etiam certissimam doctrinam ecclesiae quasi coactus relinqueret. — 2) At de facto nullum habetur indicium, secundum mentem Tertulliani Sanctum Paulum non fuisse in integro hoc loco conscribendo inspiratum. Etenim secundum morem Patrum, qui inspirationem omnium et singularum sententiarum Scripturae docent, *Tertullianus hoc loco demonstrare studet, apostolum sibi non contradicere.* V. g. « Adde, quod et haec humani consilii interiectio, quasi iam recognitionem excessus sui passa, statim se refraenat et revocat, cum.... parcere se eis dicit » etc. Vel illud: Paulus, cum aliud vult, id « quod non vult nec sponte nec veritate permittit ». Ergo potius dicit, eam *licentiam ab apostolo non fuisse datam vere, sed tantum apparenter.* Cum quo non pugnat, utrumque a Deo per Paulum conscriptum esse, et consilium apparens S. Pauli et consilium eius verum.

Aliae quaedam difficultates.

448. — Obi. 9. — *Patres hanc doctrinam de inspiratione omnium et singularum sententiarum non proponunt rata et firma sententia.* Nam ad talem modum propositionis *deerat illis occasio.* Eiusmodi

occasio adfuisset utique, si Patres debuissent refutare doctrinam, quae permittebat, *errores in rebus profanis* in Scriptura contineri. At eiusmodi theoria de errantia Scripturae in rebus profanis occupare potest mentes hominum nostrae aetatis, quae tantos progressus fecit in scientiis naturalibus, sive physicis sive historicis; aetati vero Patrum eiusmodi theoriam ascribere velle potius anachronismus esse videtur.

R. 1) *N. suppositum* difficultatis, scilicet ad id, ut quae doctrina firma et rata sententia a Patribus proposita esse censeatur, *necesse esse, eam ab iis polemice contra adversarios defendi.* Prima et principalis causa, cur veritates fidei et morum ab ecclesia proponantur, ex utilitate fidelium repetenda est. Ob utilitatem fidelium Deus inspiravit omnes et singulas Scripturae sententias; ob Dei voluntatem utilitatemque fidelium Patres hoc factum inspirationis omnium sententiarum fideliter tradiderunt.

2) At de facto *etiam aderat specialis illa ratio inculcandi hanc doctrinam, de qua in obiectione sermo est.* Negare velle eam adfuisse, evidens esset error historicus. Id quod tamen aptius demonstrare videmur, quando de inerrantia Scripturae sermo erit. Etenim praecipue contra vim argumenti patristici pro ipsa inerrantia Scripturae hanc difficultatem premunt.

449. — Obi. 10. — *Patres eadem ratione premunt inspirationem, quae verbalis dicitur, atque inspirationem omnium et singularum sententiarum.* Atqui illa doctrina a theologis nequaquam consideratur ut sententia, quae a catholicis ob auctoritatem Patrum teneri debeat. Ergo idem de hac doctrina sentiendum est.

R. 1) Si Patres revera inspirationem verbalem et in consensu et ut rem absolute tenendam proponerent, sane tenenda esset. — 2) At cum de inspiratione verbali agemus, videbimus *maiorem* difficultatis allatae *falsam* esse.

Propositio XI. — Omnes et singulas sententias Scripturae inspiratas esse, probatur e consensu theologorum.

SCHOLASTICI.

S. Bonaventura.

450. — S. Bonaventura, Breviloquium, Prologus § 5 (ed. Ad Claras Aquas V 207): In S. Scriptura ideo « *nihil contemnendum* tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro *eo quod Spiritus Sanctus,* eius auctor perfectissimus, *nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum* ».

S. Thomas.

451. — Propter recentiores quasdam difficultates, quae ex doctrina S. Thomae non recte intellecta contra hanc thesim motae sunt, iuverit diversos locos S. Doctoris exhibere.

2, 2 q. 1 a. 6 ad 1: « Quaedam vero *proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda,* non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum (quae directe nos ordinant ad vitam aeternam) manifestationem; sicut *quod Abraham habuit duos filios,* quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus, *et alia huiusmodi,* quae narrantur in sacra Scriptura in ordine ad manifestationem divinae maiestatis vel incarnationis Christi ».

Simili modo 2, 2 q. 2 a. 5 in corp. « Quantum ergo ad prima credibilia, quae sunt articuli fidei (continent id per quod homo beatus efficitur), tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem; quantum autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicite credere, sed solum *implicite, vel in praeparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet.* Sed tunc solum huiusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri ». Exprimit se autem S. Doctor ita ut dicat, talia per accidens se habere ad obiectum fidei (scilicet primarium seu attributionis). « Per accidens autem aut secundario se habent ad obiectum fidei omnia quae in sacra Scriptura divi-

nitus tradita continentur, *sicut quod Abraham habuit duos filios*, quod David fuit filius Isai et alia huiusmodi ».

In 2 sent. dist. 12 q. 1 a. 2 in sol. « Respondeo, quod quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur. *Quaedam* enim sunt *per se de substantia fidei*, ut Deum esse trinum et unum, et huiusmodi.... *Quaedam vero per accidens* tantum, in *quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse*, quae quidem ignorari sine periculo possunt ab his, qui Scripturas scire non tenentur, *sicut multa historialia* ».

In 3 sent. dist. 24 a. 1 post sol. 1 ad 2 tractat difficultatem: « Fides... per sanctam Scripturam instruitur. Sed in ea multa de creaturis continentur. Ergo fidei obiectum non est tantum veritas increata ». Respondet: « in sacra Scriptura *instruitur fides* quantum ad essentialia fidei, sicut sunt quae de Deo in se ipso dicuntur, et *quantum ad accidentalia, sicut sunt gesta patrum et alia huiusmodi quae ad fidem pertinent, in quantum sunt divinitus inspirata et dicta* ».

Rogerius Bacon.

452. — Rogerius Bacon, in Opus minus, vivide desiderium expressit, ut in scholis theologicis praeferretur libro sententiarum liber aliquis historiarum adhuc conficiendus, quo etiam libri omnes historici utriusque Testamenti continerentur. Ratio erat, quia eius sententiae erat — quae num falsa sit necne hic inquirendum non est — in Scriptura, utpote qui textus Dei sit, omnem scientiam naturalem et (suo modo) ius canonicum contineri. Deum enim omnes naturas perfecte nosse, et hanc suam perfectam cognitionem Scripturae litteris consignasse.

Quod quo stricto sensu intellexerit ex eo patet, quod putavit, ipsas res physicas in Scriptura perfectius exprimi quam a philosophis cognoscantur. Conferatur v. g. textus in Opus maius, ed. Iebb Londini 1733 p. 133: « Et rerum cognitio necessaria est in scriptura propter sensum literalem et spiritualem, ut superius expositum est. Nam proculdubio tota rerum mundi veritas iacet in sensu literali, ut dictum est, et maxime rerum geometricarum, quia nihil est nobis ad plenum intelligibile nisi figuraliter ante oculos nostros ponatur; et ideo *in Scriptura Dei tota rerum sapientia figurationibus geometricis certificanda continetur, et longe melius, quam ipsa philosophia possit exprimere. Nec mirum cum ipse Deus auctor*

sapientiae suam ordinavit scripturam ». Quod principium eo loco ad explicandam naturam iridis applicat.

Habes ergo persuasionem plenissimam, omnes relationes Scripturae, vel minimas notitias de rebus quibuslibet physicis esse inspiratas. — Error Rogerii se tenet ex parte interpretationis sententiarum quas inspiratas habet.

Armachanus.

453. — Armachanus, Summa de quaestionibus Armenorum l. 19 c. 19 ed. Paris. 1511 fol. 156 b: « *Tota.... ista Scriptura primaria* quoad infallibilitatem et veritatem assertorum in ea a Spiritu Sancto *tamquam ex fide tenetur,* quia creditur, Spiritum Sanctum locutum fuisse per prophetas et per Christi apostolos atque discipulos, qui etiam erant prophetae. Et ex eadem fide tenet et ex divinitate Spiritus Sancti, quod *nulla contrarietas seu falsa assertio auctoritatis est in ista Scriptura primaria, quia fides affirmat quod nulla contrarietas et falsitas est a Spiritu Sancto asserendo a Deo hominibus inspirata* ». Ergo ideo S. Scriptura tota est ab errore libera, quia tota est inspirata.

Gerson.

454. — Gerson, Contra haeresim de communione laicorum, op. omnia ed. Antw. 1706 col. 457: « *Si propositio aliqua Sacrae Scripturae, posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa tota Sacrae Scripturae sicut dicit Augustinus vacillaret auctoritas* ».

In tractatu: Declaratio veritatum, quae credendae sunt de necessitate salutis ib. col. 22 hoc principium statuit: « *Primus gradus veritatum credendarum est canon totius Scripturae Sacrae et singulorum, quae in ea litteraliter asserta sunt,* sic videlicet, quod *non stat cum fide ut aliquis dissentiat pertinaciter alicui contento in eadem Scriptura,* ad intellectum Spiritus Sancti, qui est vere et proprie sensus litteralis... Constat autem quod Canon Bibliae lex est Dei per revelationem habita cuius assertiones litterales innituntur huic uni litterali principio: Omne revelatum a Deo est verum, et quod Scriptura sacra divinitus est a Deo revelata, sic *quod in omni sua parte est Verbum Dei quod transire non potest* ».

NEOSCHOLASTICI

Melchior Canus.

455. — Melch. Canus, De loc. theol. l. 2 c. 16 ed. Patav. 1734 p. 71-73 ponit quaestionem, « an auctores sacri in libris canonicis spiritu interdum humano, sine divina et supernaturali revelatione loquantur ». Difficultates speculativas et positivas proponit. C. 17 p. 73-75 veram sententiam probat. Eam ita exprimit atque hunc eius valorem theologicum statuit p. 75: « Ipsi vero fateamur *singula quaeque, sive magna sive parva, a sacris auctoribus Spiritu Sancto dictante esse dicta.* Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est, id itaque et nos et *ecclesia praesertim ipsa magistra et duce* retinere debemus ». C. 18 p. 75-85 difficultates solvit. In quo capite p. 75 declarationis gratia haec inter alia addit: « Fateor non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse sed *singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti instinctu afflatuque, vere et iure contendo* ». Ob hanc causam sacros auctores nullum errorem continere, quam inerrantiam « catholica fide docente didicimus ».

Bañez.

456. — Bañez, in 1 q. 1 a. 8 in locum 1 (de auctoritate Scripturae) concl. 1 dubit. 3 ed. Venet. 1587 p. 111-6 data opera agit contra sententiam, « non semper sacros scriptores Deo inspirante scripsisse ». Adductis argumentis adversariorum praecipue quoad obiter dicta, primo distinctionem facit inter revelationem et inspirationem quoad diversas materias contentas in Scriptura, etiam eas quae hagiographis » experientia vel humana ratione constare poterant ». Deinde haec statuit p. 115: « *in omnibus illis rebus partim revelatione partim investigatione et assistentia effecit spiritus, ne aliqua via scriptor a veritate deviaret* ». Rationem reddit inter alias hanc: « *Blasphemum esset dicere, quod Deus in aliquo etiam levissimo mentitur;* ergo si Spiritus Sanctus locutus est per Prophetarum scripta, sequitur, quod ipse Spiritus Sanctus in aliquo fallit aut fallitur, aut certe quod Propheta in nullo ». « Habeamus igitur

conclusionem praemissam certam secundum fidem catholicam, quam a sanctis Patribus accepimus et Ecclesia catholica magistra et duce omnium fidelium animis indita est ».

Suarez.

457. — Franc. Suarez, De fide, disp. 5 sect. 3 n. 14 ed. Paris. 1858 tom. 12 p. 147 quaerit « an in divina Scriptura sit aliquid, quod Spiritu divino scriptum non sit, et consequenter quod non sit Scriptura divina. Ad quod breviter respondeo, *scriptorem canonicum nihil scribere humano et proprio spiritu, sed omnia et singula ex directione Spiritus Sancti... et est res certissima* ». Remittit ad Canum. Intelligit partes minimi momenti, ut salutationes etc. Cf. l. c. n. 2 p. 142.

Bellarminus.

458. — Card. Bellarminus, Controv. I De Concil. l. 2 c. 12, Ingolst. 1590 col. 1201-3 diversa discrimina inter Scripturam et decreta Conciliorum proponit.

Discrimen primum in eo situm est quod « Scriptura est verbum Dei immediate revelatum et scriptum quodammodo Deo dictante ». Tertium in eo « quod in Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide sive de moribus et sive affirmatur aliquid generale et toti ecclesiae commune, sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens ». — Quartum in eo quod « in Scriptura non solum sententiae sed etiam verba omnia et singula ad fidem pertinent. Credimus enim nullum esse verbum in Scriptura frustra aut non recte positum ». In conciliis vero « tantum ipsa nuda decreta et ea non omnia, sed tantum quae proponuntur tamquam de fide ». Ergo singula sunt verbum Dei atque ad fidem pertinent.

Quae de Erasmi sententia iudicaverit accipe e l. 1 de Verbo Dei c. 6 ed. cit. col. 22-3 : « Postrema, eorum *haeresis est*, qui in ipsis B. Pauli epistolis, aliisque sacris ac divinis libris, *non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce.* Quocirca totam epistolam ad Philemonem, ut more humano scriptam, contempserunt. Laborabant olim hoc errore tum Anomoei apud Epiphanium haeres. 76 tum etiam alii quidam apud Hieronymum in cap. 5 Micheae, et praefat. comment.

epistolae ad Philemonem et apud Augustinum lib. 2 contra adversarium legis et Prophetarum cap. 2.

Nostro saeculo Erasmus eandem haeresim renovavit: siquidem in annotationibus suis ad secundum et 27 caput Matthaei, non obscure scripsit, non esse metuendum, ne totius Scripturae corruat auctoritas, si levis aliquis error in ea deprehendatur, praesertim cum Evangelistas interdum memoria lapsos Augustinus concedat, lib. 3, de consensu Evangel. cap. 7 et negari nullo modo posse videatur ».

Lessius.

459. — Leon. Lessius S. I.: « Nos enim dicimus, *omnes Scripturae partes* esse infallibilis veritatis et *esse a Spiritu Sancto vel nova revelatione inspirante vel peculiari instinctu excitante et assistente ad singula verba et sententias, et nec minimum quidem posse esse errorem, quia redundaret in Spiritum Sanctum* ». V. textum in opere Schneemann-Kleutgen (citato n. 48 p. 28) p. 467.

Frassen.

460. — Claudius Frassen O. M., celeberrimus e Scotistis auctor, († 1711), Disquisitiones biblicae l. 3 c. 3 § 1 ed. Paris. 1695 p. 455 haec docet: « Auspicor itaque confirmandam divinam Bibliorum auctoritatem et veritatem ab ipsiusmet Scripturae definitione; cum enim illa nihil aliud sit quam Verbum Dei literis exaratum, nemini cordato dubium esse potest, quin *omnia quae complectitur verissima sint. Enimvero rectum est Verbum Domini* ait Regius Vates ideoque excludit omne obliquum, quod a recti et veri tramite periculose deviat. Quamobrem Adorandus Salvator divinum Patrem alloquens Ioannis XVII v. 7 aiebat: Sanctifica eos Pater in veritate, *sermo tuus* est veritas. Haec et similia dicta quae Dei Verbum esse verissimum contestantur, manifestissime declarant a Scriptura Dei verbo omnem falsitatem et obliquitatem esse alienissimam ». « Sic v. g. per S. Paulum, tanquam organum suum, Spiritus S. approbavit illam Arati Poëtae Ethnici sententiam ». ib. l. 1 c. 1 § 4 p. 18.

Du Plessis d'Argentré.

461. — Carol. du Plessis d'Argentré († 1740 celeberrimus e theologis Gallis suae aetatis), Disput. theol. in 4 p. 221 de Holden

haec habet: « Disertis verbis negat, omnia, quae per modum historiae in sacris litteris referuntur, esse proprie div. fidei in eodemque ordine ponit veritatem hanc ab omnibus recognitam, nempe ipsammet Scripturam esse Verbum Dei. *O paradoxa in scholis christianis inaudita!* Constat enim, Deum esse praecipuum auctorem totius Scripturae, ita ut *quidquid in Scriptura continetur sit proprie Dei verbum.* At si Deus eo tantum subsidio S. scriptoribus in rebus historicis adfuit, quod ipsis cum aliis piissimis auctoribus commune est, ergo cum in rebus historicis plerumque versetur, maxima Scripturae pars non erit verbum Dei, sed Verbum piorum hominum, Dei auxilio adiutorum. Praeterea si res historicae in s. litteris expressae, quae ad fidei dogmata haud necessario referuntur, non sunt de fide divina, incertum erit, an pleraque facta, quae in s. codicibus commemorantur, ad fidem divinam pertineant... praesertim cum Holdenius ipsa Christi gesta in evangelio relata pro veritatibus catholicis quae tamen minime sint de fide divina, eo quod scilicet non Deo revelante scripta sint, traducat. In refellendis istis erroribus non diutius immorabor ». Apud KLEUTGEN, Theol. der Vorzeit I² p. 67.

Billuart.

462. — Billuart, O. P., Tract. de regulis fidei diss. 1 art. 2 ita certum habet « *omnes Scripturae sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas et dictatas* », ut illud ne data quidem opera probandum putet. Ed. Paris. 1886 p. 68.

Wirceburgenses.

463. — Wirceburgenses, I De principiis theologicis, c. 1 a. 3 n. 20 ed. Paris. p. 20 hanc thesim habent: « Dico I: Deus res saltem seu veritates et *sententias* [in oppositione ad verba materialia] *in libris sacris expressas, Scriptoribus sacris specialiter inspiravit* ». Quod quam stricto sensu intelligant, patet e ratione tertia: « Quidquid potest credi fide divina, debet esse revelatum a Deo, cum fidei motivum sit auctoritas Dei revelantis seu loquentis; sed *omnes veritates, seu res ac sententiae in Scriptura contentae, possunt credi fide divina;* ergo ». Porro n. 24 in responsione ad difficultatem, id quod docuerunt diserte ad res in se minimas applicant, uti canem Tobiae etc.

Marchini.

464. — Io. Franc. Marchini († 1773) in monographia haud ignobili: De divinitate et canonicitate sacrorum librorum, pars 1 a. 5 in Migne, Scripturae Sacrae Cursus Completus tom. 3, Paris. 1840, col. 199 haec tradit: « Numquam tamen in eorum errorem labemur... qui *iniuriam sacris litteris faciunt, arbitrati, non nulla ex parvis saltem ut ipsi inquiunt et ad salutem nostram non spectantibus humano tantum spiritu, humanaque industria, aut prophetas aut apostolos scripsisse,* destitutos ea singulari Dei praesentia, sine qua intelligi nequit, librum esse divinum ». Diserte excludit errorem, tantum res fidei et morum esse inspiratas. Cf. etiam col. 83-95; col. 97-105 obiectiones solvit.

465. — E recentioribus auctoribus cf. rem aliquo modo evolutam: Denzinger, Vier Bücher etc. II p. 214-23. — Kleutgen, Theologie der Vorzeit [2] I 1867 p. 50-72. — I. B. Heinrich, Dogm. Theologie I 1875 p. 740-3. — Card. Franzelin, Symbole ad tract. de div. Scrip. [4] p. 520-37. — Schmid n. 25-27 p. 18-21. — Crets p. 257-333. — de San, De Trad. et Script. n. 319-76 p. 256-301. — Pesch n. 432-5 p. 440-4. — Chauvin p. 129-67. — Adulphus Cellini, Propaedeutica Biblica II, Ripaetransonis 1908 p. 136-60.

466. — Etiam quidam asseclae scholae largioris, quae dicitur, iam ante Encyclicam « Providentissimus », quae clare inspirationem omnium et singularum sententiarum docebat, hanc doctrinam in Traditione contineri concedebant. Ita v. g. Loisy, Études bibliques ch. 2 I [3] p. 128 refert, se iam ante illud tempus scripsisse: « Il faut avouer que ces théories [Lenormant et Newman] limitent ou paraissent limiter l'objet de l'inspiration d'une manière qui n'est conforme ni à la lettre ni a l'esprit de la tradition ecclésiastique ». Quod cum concedebant, sane non levem difficultatem suae opinioni de erroribus Scripturae creabant. Unde evidentia testificationis in Traditione iis affulsisse videtur.

467. — Contra argumentum e consensu theologorum et saeculis anteactis et recentissime haec *obiectio* facta est: multi theologi inspirationem omnium et singularum sententiarum Scripturae negare videntur; nam negarunt, omnia et singula in Scriptura ab auctore eius humano asserta esse fide divina credenda. — Uti patet haec ratio impugnandi argumentum nostrum rationibus theologicis innititur atque iis quidem, quae ex essentia fidei hauriuntur. Unde eam potius simul cum aliis difficultatibus tractabimus, quae e falsa speculatione contra inspirationem omnium sententiarum petuntur.

Propositio XII. — Docetur quid Constitutiones Ecclesiae de extensione inspirationis tradant.

ENCYCLICA « PROVIDENTISSIMUS ».

468. — Uti vidimus n. 108 p. 54 unus ex erroribus, qui ultimis decenniis ante Encyclicam « Providentissimus » spargebantur, erat is, inspirationem non ad omnes et singulas sententias Scripturae extendi. Contra quem errorem Encyclica n. 30-1 incl. diversa continet, quae simul et hunc errorem et eum, qui est contra inerrantiam Scripturae, reiciunt.

Inspiratio non coangustatur ad res fidei et morum.

469. — *Primo:* N. 30 statuitur principium pro exegesi praecipue eiusmodi partium quae de rebus per se profanis agunt. Nam de eiusmodi sententiis in numeris praecedentibus 27-30 proxime sermo est, sive ad ordinem scientiarum physicarum sive ad historiam vel alias cognatas disciplinas eae pertinent. Eiusmodi sententiae a recentioribus dicebantur posse aut errorem continere aut inspiratione carere. Iamvero principium illud sic se habet: « *nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare,* aut concedere, ipsum errasse auctorem ».

470. — *Secundo: Refutatur ratio principalis scholae largioris,* ob quam quidam ex eius asseclis inspirationem ad res fidei et morum restrinxerunt. « Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod *falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit* ».

471. — *Tertio: Datur ratio cur* exceptio recentiorum nullius valoris sit, cur proinde *nefas sit,* aut *inspirationem ad aliquas tantum partes,* uti sunt res fidei et morum *coangustare,* aut concedere ipsum sacrum auctorem in ulla re quam scripserit errasse. Quae ratio haec redditur: « Etenim *libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt;* tantum vero abest ut divina

inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse ».

Inspiratio ad omnes sententias Scripturae extenditur.

472. — *Primo:* Docetur, sacris auctoribus ideo nihil falsi elabi potuisse, quia Deus « supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia *eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae ». Iamvero si Deus ita est auctor Scripturae universae, ut vi suae motionis et assistentiae hagiographi « ea sola quae ipse iuberet et recta mente conciperent, et fideliter scribere vellent, et apte infallibili veritate conscriberent », sane nihil omnino isti in libris sacris scripserunt nisi ex eius afflatu seu inspiratione. Etenim in actibus enumeratis e mente Pontificis ipsa inspiratio consistit.

473. — *Secundo:* Aperitur, *e qua falsa doctrina sententia recentiorum de erroribus Scripturae originem suam trahat.* « Consequitur ut qui *in locis authenticis* Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto *aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem* ». Quae sententia hunc sensum fundere videtur: Ostendimus, secundum catholicam doctrinam Deum inspiratione se constituere auctorem earum sententiarum, quae sub inspiratione scribuntur; ostendimus porro, eum omnium sententiarum esse auctorem. Ergo si quis nihilominus asserit, in ullo loco authentico aliquem errorem inveniri, ille aut negat Deum esse omnium sententiarum verum auctorem — id quod est catholicam notionem inspirationis pervertere; aut admittit, cum eo, quod Deus est auctor Scripturae, componi posse, eam continere errorem — id quod est docere Deum erroris esse auctorem. — Notetur his verbis evidenter declarari errorem esse ab omni loco authentico exclusum. Quae expressio certe iis dubitationibus occasionem praebere non potest, quae ex voce partis a Concilio Tridentino olim adhibita ortum habuerunt, num scilicet tantum aliquod incisum maius an omnis omnino sententia significetur.

474. — *Tertio:* Doctrinae idem duplex punctum, scilicet inspiratio non limitata et inerrantia, *e Sanctis Patribus* eruitur. « Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, *quales ab hagiographis editae sunt*, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, *Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse* ». Quae sententia ita forma severiori reddi posse videtur: Patres habebant persuasionem, libros cum omnibus suis sententiis esse erroris expertes; cuius persuasionis evidens signum in eo est, quod continuo omnes apparentes contradictiones sedulo inter se componere studuerunt. Ratio autem cur libros cum omnibus suis sententiis ab errore liberos proclamabant, erat in eo, quod Spiritus Sanctus libros cum omnibus eorum sententiis elocutus sit. Sequitur sane, Encyclicam docere, e Patrum doctrina omnes et singulas sententias esse inspiratas.

475. — *Decretum* « LAMENTABILI SANE EXITU » damnavit propositionem 11: « Inspiratio divina non ita *ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat* ».

DEFINITIONES CONCILIORUM.

§ 1. — **Aperte continent, inspirationem non restringi ad partes quae revelationes divinas enarrant.**

476. — **Argumentum 1.** — Et « Statuta ecclesiae antiqua » et Concil. Florentinum, Tridentinum, Vaticanum docent, *libros sacros Deum habere auctorem.* Iamvero sunt libri, qui nullas revelationes continent ut Ruth, Esther, epistola ad Philemonem. Porro in aliis quibusdam libris sacris revelationes generatim omnino minorem partem formant, uti in ipsa Genesi verba Deo attributa, in ipsis evangeliis sermones Christi. Atqui *qui aut omnino nihil ex iis quae in aliquo libro inveniuntur aut tantum minorem libri partem conscripsit, non potest ullo modo auctor libri vocari.* Ergo.

477. — **Argumentum 2.** — Concilium Tridentinum definivit, libros « *integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catho-*

lica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina continentur, pro sacris et canonicis esse recipiendos ». Concilium Vaticanum eandem definitionem repetit, nisi quod incisum « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt » omittit. Quo posito sic arguimus :

A. *Libri* omnes inspirati sunt. Atqui, ut mox vidimus, sunt libri sacri, qui nullas revelationes continent. Libri *integri cum omnibus suis partibus* inspirati sunt. Atqui primo sunt libri, quorum maiores partes, ut mox diximus, revelationes non enarrant. Deinde alii sunt libri, inter quos ipsi prophetici, in quibus plura ex ordine capita res historicas, non vero revelationes continent. Cf. v. g. Isaias c. 36-40; Ieremias c. 36-42. Iamvero plura ex ordine capita certe partem libri constituunt. Ergo evidentissime inspiratio nequit restringi ad eas partes, quae revelationes continet.

B. Libri de quibus Tridentinum agit, aut sunt immediate Scriptura originalis aut immediate Vulgata. Si primum, habemus intentum. Si secundum, ita argumentari possumus: Vulgata aut sumitur uti est in concreto, cum iis mendis et difformitatibus ab originali, quae omnibus consentientibus in ea inveniuntur, aut sumitur eatenus, quatenus est conformis cum Scriptura originali. Iamvero si minus vi huius decreti, saltem vi decreti sequentis « de editione et usu sacrorum librorum » (Denz. 785) constat, *Vulgatam esse substantialiter conformem cum originali.* Si autem substantialiter conformis est, ergo evidentissime in maiore parte rerum quae in ea continentur, in narrationibus illis plurimis longissimis, in historicis, sapientialibus etc. Porro *libri, prout in Vulgata exstant,* non ideo *dicuntur canonici*, ac si ipsa versio eorum sub charismate inspirationis peracta esset, sed ideo *quia substantialiter conformes sunt cum libro originali canonico. Ergo a fortiori libri originales dicuntur canonici in talibus partibus.*

Unde sequitur conclusio: hoc canone dicitur formaliter explicite id quod formula « Deus est auctor librorum » dicitur formaliter implicite, scilicet etiam eas partes, quae non continent veritates revelatas, sub inspiratione esse conscriptas.

§ 2. — **Continetur, inspirationem non restringi ad ideas religiosas sive theoreticas sive practicas, quae aut thetice in S. Scriptura proponuntur aut e factis eruendae supponuntur, sed eam extendi ad ipsam seriem factorum saltem historiae sacrae.**

478. — Sententia refutanda ita exhiberi potest: Inspirata est utique talis sententia: « Iustus es Domine », at non enarratio

eorum plurimorum factorum quibus iustitia Dei illustratur, v. g. narratio de peccatis et poena Sodomitarum, Dathan et Abiron. Inspirata est utique sententia Sap. 8, 1: « Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter », at non illa populi electi sanctorumque historia, quibus talis providentia per capita illa 10-19 describitur.

Etiam ea cogitatio forte aliquando aliquorum mentes occupavit: Veritas propter quam inculcandam conscripta est v. g. historia creationis Gen. c. 1 et 2 haec est vel similis: Deus verus et bonus creavit omnia, non autem Deus aliquis malus vel dii falsi. Creavit omnia propter hominem, unde homo caetera ad fines suos, iis debite utendo, perducere debet. Hae ideae, quae ex tota narratione elucent, inspiratae sunt, non vero ipsa illa narratio.

Argumentatio *eadem est, quam § 1 adhibuimus.* Etenim veritates theticae minorem omnino partem Scripturae constituunt, maiorem format historia sacra vel sacra cum rebus per se profanis permixta. Iamvero impossibile est, Deum dici auctorem libri, imo omnium eius partium, si minorem libri partem composuit.

§ 3. — **Continetur, inspirationem non restringi ad res fidei et morum, sed etiam ad res profanas extendi.**

479. — Ne in quaestionem disputatam de definitione rerum fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium ingredi debeamus, *eam definitionem ponimus, quae quam plurima huic veritatum classi attribuit.* Quodsi enim, etiam tali definitione supposita, verum remanet, etiam ad res profanas vi definitionis Concilii inspirationem esse extendendam, nullum dubium de veritate asserti superesse videtur.

Est autem talis definitio rerum fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium ea quam proponit v. g. L. Billot, De inspiratione[2] Pars II c. 2 p. 94-110. Sunt « *illa omnia, quae quolibet modo faciunt ad notitiam vel speculativam vel affectivam finis, necnon et mediorum conducentium ad finem*, ut puta praeceptorum, consiliorum, sacramentorum, et totius demum oeconomiae regni Christi Redemptoris, a prima eius praeparatione statim post lapsum protoparentum, usque ad perfectam eius constitutionem in Ecclesia Novi Testamenti » p. 97. Opponuntur ea « adiuncta, quae ex sese ad fidei doctrinam undequaque indiffe-

rentia, in unum nihilominus historiae sacrae corpus coalescere debuerunt, eo quod sine illis ipsa sacra historia, humano saltem et connaturali modo exarari non poterat ». Desumpta sunt haec ab ipso auctore ex alio eius opere de virt. infus. [1] 1901 p. 231-2.

480. — Argumentatio *simillima est ei, quam mox in § 1 dedimus.* Etenim librorum partes quae tales res profanas continent, multae sunt et sat longae. Unde sine ullo dubio etiam ad eas terminus « pars », etsi eius significationem sat largam supponis adhiberi debet, itemque conformitas substantialis Vulgatae ad eas extendatur necesse est.

Utique in concreto aliquando difficile est distinguere res profanas a rebus fidei et morum. Videntur tamen adduci posse huiusmodi: *quaedam genealogiae* v. g. personarum quarum familiae non cohaerent proxime cum oeconomia salutis; *quaedam a catalogis geographico-historicis* ut v. g. fere integrum caput 33 libri Numerorum de singulis mansionibus filiorum Israel in deserto; catalogus filiorum Israel Num. c. 26 v. 12-51.

§ 4. — **Referuntur sententiae, num definitionibus Conciliorum hoc quoque contineatur, esse inspiratas omnes et singulas sententias, ipsa quoque obiter dicta.**

De argumento directo
quod petitur e significatione vocis « pars ».

481. Concilium Tridentinum definivit, libros « integros cum omnibus suis partibus, prout.... in Vulgata continentur », esse canonicos. Quam definitionem Concilium Vaticanum repetit. Quaeri potest, num vel qua mensura veritas, omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas, directe in hac definitione contineatur, idque ideo, quia pars per se et directe significet omnem omnino sententiam. Dissentiunt auctores. Cuius dissensionis ratio in eo est, quod diverso modo a diversis auctoribus explicatur tum terminus « libri prout in Vulgata editione continentur », tum terminus « integri cum omnibus suis partibus ». Quasdam sententias enumeramus, quae pro nostra re aliquod momentum habent.

482. — Prima sententia. — Terminus « **libri** prout... in Vulgata leguntur » directe significat **libros originales**. — Terminus vero « pars » significat omnem **etiam minimam particulam**. — Habes ergo formaliter contentum in hac definitione Vaticani assertum

nostrum, omnes et singulas sententias Scripturae originalis esse inspiratas.

483. — L. Billot p. 32-33 refutat sententiam, secundum quam « partes quae sacrae et canonicae definiuntur, non sunt omnia et singula quae primitus scripta erant in libris originalibus ». « Sed hoc nihil esse, evidenter tibi constabit si consideres, quod decretum Tridentinum *de canonicis Scripturis non respicit directe vulgatam versionem qua talem*, quia versio non est sacra et canonica qua versio, sed solum qua authentica, id est conformis cum originali. Et de hac conformitate seu authenticitate vulgatae directe non agitur nisi in decreto sequenti *de editione et usu sacrorum librorum. Primum itaque decretum directe est de ipsis originalibus libris, qui integri, ac per hoc, cum omnibus partibus ad eorum integritatem quocumque modo pertinentibus*, sacri et canonici definiuntur. Nunc autem, quia de aliquibus poterat oriri dubium an essent necne, integrantes Scripturae originalis partes (nam capita 13 et 14 Danielis, itemque plura loca libri Esther, in Hebraeorum voluminibus Hieronymus non reperit; et rursus, alia quaedam in novo testamento, velut Marc. XVI, 9-20, Luc. XXII, 43-44, Ioan. V-4 et VII-53, etc., a nonnullis Patribus notantur ut in paucioribus vel pluribus codicibus omissa): ideo oportebat statuere pro norma aliquam editionem in concreto. Et hac de causa non satis fuit Concilio dicere, libros ipsos integros pro sacris et canonicis habendos (quod utique satis erat ad integralem inspirationem originalis Scripturae firmandam), sed addendum fuit: cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, ut scires ad originales Scripturas ea quoque pertinere, quae in multis codicibus sive hebraicis sive graecis nunc desiderantur, et tamen in veteri illa editione vulgata, longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata, continentur ».

484. — Secunda sententia. — Terminus « **libri** prout... in Vulgata continentur » significat quidem **proxime Vulgatam, at prout authenticam,** i. e. in quantum respondet textui originali. — Terminus « **pars** » significat **omnem omnino particulam.** - Habes ergo, omnem particulam Vulgatae, quae simul invenitur in textu originali, vi huius definitionis Vaticanae esse inspiratam, non vero habes vi huius definitionis, esse inspiratos tales locos Scripturae originalis, qui in Vulgata omissi sunt.

485. Schiffini, salvo meliori iudicio, haec pronuntiat n. 53 p. 120-2: « Quidam distinxerunt inter partes et particulas. Sed hoc est ineptum, nam *sermo divinus id non patitur:* Scriptura autem in locis originariis est ex toto sermo divinus.

Potius fieri potest quaestio an definitio Tridentina intelligenda sit de partibus Vulgatae editionis, minime vero de partibus Scripturae originariae sive primigeniae ». Hanc sententiam sibi non probari. « Decretum enim Tri-

dentinum de authentia Vulgatae est prorsus distinctum a definitione de sacris et canonicis Scripturis, ut patet legenti. Insuper, communiter admittitur, nihil adversari decretis Tridentinis eos, qui veterem Vulgatam latinam editionem authenticam quidem fatentur, non ita tamen ut ea sit ab omni errore libera, in textibus nempe non per se dogmaticis. *Si igitur definitio Tridentina de sacris et canonicis Scripturis unam Vulgatam editionem respexisset,* eiusdemque partes ut sacras et canonicas recipiendas esse statuisset, *iam non posset ex hac definitione argumentum duci pro absoluta inerrantia sacrorum Scriptorum.* Atqui Leo XIII tale argumentum ut omnino peremptorium usurpat, prout apparet e verbis quae in probatione exscripsimus » [Cf. n. 468 p. 215].

486. — Restat igitur tertia eaque planissima interpretatio quam nempe amplexus est Leo XIII. Nimirum nomine partium intelliguntur quidem in canone Tridentino *partes in concreto, quae nempe in Ecclesia leguntur et in veteri vulgata latina editione habentur, sed quatenus sunt authenticae, h. e. respondent Scripturae partibus originariis.* Tridentini enim Patres in hoc canone agunt de divinitate sacrorum Librorum, quippe qui dicuntur sacri et canonici pro eo quantum eosdem ut divinos veneratur Ecclesia. De authentia enim Vulgatae, ut dictum est, agit in alio decreto. Neque igitur voluerunt divinitatem definire omnium partium Librorum originalium, etiamsi aliquae fuerint deperditae, vel servatae quidem, non tamen comprehensae in veteri Vulgata latina editione: neque etiam, ut notavimus, definierunt absolute divinitatem omnium partium Vulgatae. Definierunt igitur *ut divinos omnes locos authenticos Vulgatae, vel,* quod perinde est, *textus Scripturae primigenios qui in Vulgata latina editione continentur.* Quae postrema restrictio optime et latine significatur particula quatenus, prout. Confer Forcellini. Procul dubio ita rem intellexit Leo XIII. Cum enim edixerit absolutam Scripturae inerrantiam spectare ad antiquam et constantem Ecclesiae fidem definitam a Tridentino et unanimi Patrum affirmatione declaratam, ita concludit. « Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Hi ergo loci authentici sunt partes Scripturae de quibus Tridentina Synodus loquitur. Neque dicatur id quoque valere pro aliis versionibus a Vulgata diversis. Negandum est omnino. *Si qui enim loci, ut authentici primigeniae Scripturae invenirentur in aliis versionibus, ex. gr. septuaginta interpretum, qui tamen desunt in Vulgata, non teneremur eorum divinitatem credere quantum est ex vi definitionis Tridentinae.* Quod idem dicendum foret, si forte partes aliquae deperditae invenirentur, quas aliunde certo constaret pertinuisse ad textum Scripturae primigenium ».

487. Tertia sententia. — Terminus « **libri**... prout in Vulgata habentur » significat proxime **Vulgatam uti in concreto est** cum suis mendis et difformitatibus ab Originali. Terminus « **pars** » **saltem non potest demonstrari significare omnem particulam.** — Ita argumentum directum pro inspiratione omnium particularum

sive immediate Vulgatae in quantum est conformis et mediate Scripturae originalis, sive immediate Scripturae originalis, ex hoc inciso definitionis haberi nequit.

488. — Subiungo summam argumentationis quam proponit I. B. Nisius, Die Encyclica « Providentissimus » und die Inspiration, in Zeitschrift für Kath. Theologie XVIII 1894 p. 659-63. — Cf. quoque Fonck, Der Kampf etc. p. 41-50. — De San n. 344 p. 271-2 coll. cum n. 372 p. 296. — Cornely, Introductio I[4] n. 174 p. 452-3; Comp.[6] n. 137 p. 111.

A. **Terminus pars ex natura sua vel saltem vi modi communis loquendi** « non necessario significat omnes etiam minimas particulas ». Fonck p. 45. Ergo saltem permittitur ut in hoc decreto tantum de incisis maioribus sermo sit. Imo « in ordinario usu loquendi cum haec expressio (pars) adhibetur, potius partes integrantes alicuius scripti considerantur ». ib. — Item v. g. Nisius l. c. p. 661 nota. — Pesch n. 275 p. 248.

Ratio huius asserti ampliore ratione *redditur* nomine aliorum apud de San n. 344 p. 271 quos n. 296 non putat corrigendos: « Non enim *singuli sacrorum librorum textus atque adeo* singula hosce textus constituentia *incisa* vere et proprie possunt vocari partes horum librorum. Licet enim sint eorum *partes secundum considerationem pure mathematicam, non tamen sunt eorum partes secundum aestimationem moralem, cui tamen uni innititur communis usus loquendi.* Sicuti secundum communem hominum aestimationem singuli lapides qui intrant structuram domus, non possunt dici esse partes domus. Et ratio cur, attenta morali hominum aestimatione, componentia eiusmodi dici nequeant partes totius quod ex iis constituitur, est quod *partes alicuius totius censentur esse ea solummodo quae et aliqualem servent homogeneitatem cum toto quod ex iis constituitur* et huius totius sint proxima constituentia. Non autem singularia incisa neque adeo singulares textus, sed solummodo *contexturae textuum servant aliqualem homogeneitatem cum libro* qui ex iis constituitur suntque huius proxima constituentia. Nulla ergo ratione fieri potest ut, attenta communi hominum aestimatione, singularia incisa vel singulares textus librorum sacrorum habeantur ut partes horum librorum ».

489. — B. **Praeterea elementa ipsi decreto intrinseca** cogunt, ut hoc loco terminus pars non dicatur comprehendere etiam minimas sententias, sed tantum pericopas, quae maiores sint aut ratione momenti aut ratione extensionis. Pro suo asserto Nisius l. c. has duas rationes latius evolvit.

Haec sola interpretatio primo legitima est **historice**, i. e. si circumstantiae historicae decreti respiciuntur. In Actis [Cf. Theiner, Acta genuina Conc. Trid., Zagabriae 1874 I p. 72 b] sermo est tantum *de pericopis* Mc. 16, 9-20; Lc. 22, 43-4; Io. 7, 53-8, 11. Utique nequaquam tantum hae partes obiectum sunt definitionis, sed omnes similes, cum in genere omnes partes doceantur sacrae. Sequitur tamen, non posse probari terminum « pars » habere significationem strictiorem atque eam, quae necessaria erat, ut decretum talia incisa tueretur.

490. — *Haec sola interpretatio secundo* **logice** *sibi constat.* « Etenim, vi *appositionis in sententiam introductae:* « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in vetere Vulgata latina editione habentur » *verba concilii debent directe referri ad Vulgatam.* Iamvero si ita est, phrasis complectitur cogitationes duas, quae sedulo attendendae sunt: prima est, *libri in ea integritate, et in ea forma, in qua Vulgata eos continet, sunt sacri et canonici,* i. e. fons divinus fidei; altera, hoc de iis dicendum est, *quia in essentialibus conformes sunt cum originali,* cui utique soli originaliter haec indoles convenit ». p. 661-2. — Qui hanc interpretandi rationem sequuntur, non id semper statuunt, in toto Decreto esse sermonem de Scriptura prout in Vulgata continetur. Ita Crets p. 275 (coll. cum p. 268) de Concilio Vaticano hoc habet: In ea parte Decreti, ubi ratio canonici explicatur, sacros libros respici « independenter a qualibet versione vel exemplari »; versionem autem Vulgatam solummodo ibi respici, ubi Patres « determinant, quinam libri quaenamque librorum partes pro sacris et canonicis sint habendi ». Eaedem duae partes in Concilio Tridentino habentur.

Conclusionem suam Nisius ita profert. « Si hanc interpretationem verborum tenemus, quae sola historice et logice fundata est, patet decretum nostrum argumenti loco pro inerrantia [et inspiratione] *singularum partium Scripturae tantum in ea mensura posse adduci, in qua ipsa Vulgata a Concilio ut authentica est agnita.* Aliis verbis: omnes libri in tota sua amplitudine, cum omnibus suis partibus in eo gradu et in ea mensura sunt declarati sacri et canonici, prout ecclesia Vulgatam ut authenticam in suam definitionem suscepit. Plus, si rem strictius sumimus, definitio non habet. Atqui e diebus concilii Tridentini inter primos theologos maxima cum claritate persuasio viguit atque permansit, *Concilium non suscepisse Vulgatam ut authenticam in punctis omnibus vel in minimis et accidentalibus...* [Imo aliunde constat, in Vulgata menda in rebus aliis quam fidei et morum concedi]. Sequitur: si qui pro inerrantia [et inspiratione omnium sententiarum] Scripturae *directe* provocat ad Decretum Tridentinum (vel Vaticanum), eiusmodi argumentatio effectu suo careat necesse est ». l. c. p. 663. — Eadem quoad rem est argumentatio Crets p. 268-70. — Etiam Brucker, Questions actuelles d'Ecriture Sainte p. 71 argumentum tantum mediate factum proponit. — Fonck p. 37-45. — Franzelin th. 19 n. 2 affirmat, decretum agere proxime de Vulgata.

De argumento indirecto, ex eo quod « Deus est auctor librorum sacrorum, eos conscripsit »

491. *Eiusmodi argumentum indirectum diversi diversis modis proponunt. Quidam modi exponendi videntur.*

I. **Card. Franzelin** thesis III p. 320-1 ita argumentatur: « *a)* Dum S. Concilium Vaticanum post alias geminas Conciliorum et pontificum definitiones declarat, libros Veteris et Novi Testamenti pro sacris et canonicis ab ipsa Ecclesia haberi « propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem », profecto *haec conscriptio intelligitur simpliciter*

et proinde secundum omnes sententias, quae ab inspirato scriptore in libro consignatae sunt; neque enim inspiratio ad conscriptionem interrupta et per intervalla sed ad totam conscriptionem asseritur.

b) Quando Ecclesia profitetur Deum auctorem libri sacri et canonici, hoc sacrum et canonicum non minus late patet, quam significatio nominis Scriptura. Atqui Scripturae accensentur omnes et solae sententiae, quae ab homine inspirato in libro consignatae sunt, ac porro in doctrina evangelica et apostolica praedicatione expresse singulae sententiae, eo quod et ipsae sunt Scriptura, tribuuntur Deo auctori, quod utrumque in th. I et II [de divina auctoritate et inspiratione Scripturae universae] demonstravimus. Ergo *professione Ecclesiae et in eius formula synodali*, Deus est auctor libri sacri et canonici, intelligitur Deus auctor libri secundum omnes partes quae sunt Scriptura, ac proinde auctor omnium sententiarum quae primitus ab homine inspirato sunt libro consignatae, quoniam hae omnes et solae sunt Scriptura ». — Idem re habet Chauvin p. 143-4.

492. — II. Crets p. 271-6 modum procedendi evolvit, qui his quasi passibus progreditur:

1) « Proprium libri est, ut eius ope, non secus ac per locutionem, imo multo magis, alii homines in notitiam conceptuum auctoris deveniant ac porro instruantur. Inde fit ut, ubi aliquis liber in lucem editur praeseferens nomen sui auctoris, censeatur hic nominatim sermonem dirigere ad lectores. Hi autem vicissim *eidem in laudem vel vituperium tribuunt omnes omnino conceptus laude vel vituperio dignos, qui in illo opere expressi inveniuntur*. Illud adeo verum est, ut, siquando lectores aliquam sententiam erroneam vel si ageretur de rebus religiosis, propositionem aliquam minus orthodoxam in illo opere offenderent, nullus eorum sibi satisfactum arbitraretur, si, ad sui excusationem, solum obtenderet praetensus auctor, ammanuensem suum illa proprio marte, ipsomet ea non dictante, superaddidisse; purgationem suam eidem ideo eriperent, quod hoc casu non sine fraude se auctorem libri simpliciter esset professus, dum ipse tantummodo partialis auctor iure posset vocari ».

2) *Hoc applicat ad libros divinos.* « Quapropter nonnisi abusive et fallaciter talis liber simpliciter Deo auctori tribueretur ».

493. — 3) *Refutat obiectionem: « formula, Deus est auctor Bibliorum, non necessario sumenda est in sensu proprio et strictissimo*, sed intelligi optime potest in sensu morali et latiori, qui obtinet dummodo Deus longe maioris et praecipuae partis Scripturarum auctor agnoscitur ». Reponit: quoad eos « qui nonnisi hic illic aliqua obiter dicta ab inspiratione excipiunt, non diffitemur effugium alicui satis speciosum posse videri. Non enim nobis adeo evidens est, modum loquendi communem illud non ferre, ubi agitur de libro, qui ita scriptus perhibetur, ut ille, cui tamquam auctori adscribitur, solummodo sensa suppeditaverit, alio vero physice scribente et in modum conceptus exprimendi haud parum influente. Attamen frustra ad istud effugium recurrunt illi eruditi. Nam, ut nil amplius dicam

de defectu cuiuscumque normae fundatae, qua haec obiter dicta ab aliis discriminarentur, animadvertimus:

a) Etsi daretur in laudata hypothesi hanc formulam posse adhiberi in sensu morali et latiori, *nondum est demonstratum eam in hoc sensu fuisse usurpatam* ab Ecclesia. Porro illud ob solas coniecturas admitti nullatenus debet, imo non potest. Nam

b) Ecclesia in suis definitionibus *utitur verbis et loquendi formulis secundum eam significationem, quam obvie et in sermone vulgari habent.* Atqui formula laudata in consueta sua acceptione sensum fundit quem diximus. Quapropter

c) Vix intelligitur, cur tria consequenter Concilia Oecumenica, Florentinum, Tridentinum et Vaticanum, ubi data opera originem divinam sublimemque dignitatem sacrorum librorum definire intendunt, conceptis verbis in sensu insueto et extraordinario usa fuerint, quin ullo pacto innuerint, se a communi genere dicendi recedere. Ad providam Dei sapientiam profecto spectat, ut potius homines per Ecclesiam de hac insolita sacrorum librorum indole accurate edoceantur, quam ut sinat illam talem usurpare formulam, quae omnibus et singulis Scripturarum sententiis homogeneam conciliet auctoritatem, et vi cuius erronea forte humana opinamenta ceu divina effata homines amplecterentur. Caeterum

d) Si quem haec non pervincant, sciat *nos singula momenta*, quibus nostram sententiam fulcimus, *haud considerare velut separata argumenta:* videlicet, vim intensivam et extensivam, quam formulae auctor libri tribuimus, non depromimus unice ex formula nude spectata, veram etiam *recurrimus*, uti par est, *ad sensum traditionalem*, ut compertum habeamus, quo sensu haec formula in Ecclesia intellecta fuerit. Porro mox patebit hanc exceptionem nullatenus convenire cum *unanimi doctrina Patrum et Theologorum*, qui etiam minora quaeque Bibliorum incisa Deo auctori tribuebant».

494. — 4) Postremo Crets sibi aliud obicit:

« Sane iuxta phraseologiam Ecclesiae, appellationes *verbum Dei,* Scriptura Sacra, aliaeque *indiscriminatim de versionibus et de textu originali usurpantur*, imo libri sacri, etiam quando in versione Vulgata considerantur, dicuntur Deum habere auctorem ». *Iamvero versio Vulgata menda habet, quae certe ad Deum non sunt reducenda. Ergo ille terminus, Deus est auctor librorum, non secum fert,* Deum debere esse auctorem omnium et singularum sententiarum.

Respondet: « Proprium... est versionis, quae cum autographo seu originali textu in omnibus vel saltem in plerisque, maxime in substantialibus conformis invenitur, ut eaedem denominationes originis, dignitatis et auctoritatis ipsi decernantur, quae textui primitivo congruunt, neque ob paucula quaedam accidentalia, quae in transcriptionibus vel translationibus aliena manu interpolata vel mutata fuerint, appellationes illas in communi sermone amittant. Quando igitur dicimus, libros sacros in versione Vulgata contentos esse divinitus inspiratos vel Deum habere auctorem, *illae appellationes non sumuntur in sensu formali vel reduplicativo*, ac si vel haec versio elaborata

esset sub divino afflatu, vel hi libri divini essent, in quantum praecise hanc formam haberent, *sed sumuntur in sensu materiali et specificativo, adeo ut significetur illos libros, qui nunc in Vulgata latino sermone translati habentur, primitus fuisse a Deo inspiratos illosque etiamnum sub hac forma divinos esse ratione suae conformitatis quoad sensa cum libris archetypis absolute et in se divinitus inspiratis.* Quamvis itaque illa versio non sit authentica in sensu absoluto et mathematice universali, uti vario ex capite certissime novimus, sed in sensu dumtaxat morali et latiori, origo divina tamen ei deneganda non est, *quia in pene omnibus et certe in substantialibus conformis est autographo.* Versio igitur Vulgata et etiam quilibet eiusdem textus, qui non probatur apocryphus, simpliciter vocari potest ac debet Verbum Dei scriptum et habere Deum auctorem.

495. — *Ratio, cur communis loquendi modus ferat relate ad versiones, quod non patitur quoad autographum, in eo esse videtur,* tum *quod haud infrequenter versiones librorum ab originali hic illic abludant,* adeoque ab omnibus notum sit, non in eodem strictissimo sensu versionibus applicari quod praedicatur de prototypo originali, tum quod *levis corruptio etiam sensum attingens, multo minus periculosa sit ac facilius componi possit in versione, quam si in archetypo hic illic aliquis alius sua placita immiscuisset.* Praeterea ubi agitur de Scripturis, ratione intimi nexus inter auctorem libri et eius scriptorem, huius errores, si qui essent, in Deum auctorem refunderentur et ipsam substantiam Scripturarum in dubium vocarent; aliter vero res sese habet relate ad menda transcriptoris vel interpretis » p. 275-6.

496. — III. *Quaeritur num valeat haec* quasi aprioristica argumentatio : *Pars maior libri inspirata est, ergo integer liber? — Si sola potentia Dei absoluta respicitur* et speciatim si ab eo abstrahitur, eum librum indiscriminatim ut divinum proponi, *negative* respondendum est. Etenim inspiratio prout ab homine recipitur, non est habitus, sed influxus aliquis actualis. Ergo iam propter hoc potest esse discontinua. An fortasse perdurat inspiratio quando auctor magni operis inspirati opus interrumpit, ut necessitatibus corporis caeterisque negotiis vacet? Ergo neque repugnat, quominus in una parte alicuius libri conscribendi influxus inspirativus concedatur, in alia parte retrahatur. Cf. Crets p. 203-4. — At aliud dicendum est, si providentiam Dei ordinatam, in hoc ordine rerum consideramus. De qua quaestione agemus n. V.

497. — IV. *Quaeritur num haec forma argumenti sustineri possit:* Res fidei et morum *inspiratae atque credendae sunt.* Atqui res quae sunt fidei et morum, ab iis quae tales non sunt, *distingui non possunt. Ergo ut illae credi possint, etiam hae inspiratae sint necesse est.* — Respondeo: haec ratio, prouti iacet, *infirma esse videtur.* Concedendum quidem est, non solere esse facilis negotii, res fidei et morum a caeteris semper tuto separare. At hanc distinctionem impossibilem esse, asseri non potest.

Etenim *Concilium Tridentinum* Denz. 786 *in Scriptura res fidei et morum a caeteris distinguit.* Cuius distinctionis finis est, ut doceat, in interpretatione rerum fidei et morum nos debere sequi sensum quem tenuit et

tenet sancta mater ecclesia. De caeteris rebus in Scriptura contentis saltem directe non agit.

Porro ab omnibus *alia solet statui conformitas inter Vulgatam et Scripturam in rebus fidei et morum, alia in rebus caeteris.* Ergo supponitur, exegetas in genere aut per se ipsos aut saltem monstrante ecclesiastico magisterio res fidei et morum a caeteris posse distinguere.

Forte hoc sensu Schmid p. 8 concedit: « Ergo quandiu de absoluta rei possibilitate agitur, concipi potest liber, qui pro ecclesiae usu utilis ac sufficiens sit, licet solum in dogmaticis sit immunis ab omni errore simulque inspiratus, in aliis vero non ».

498. — V. Quaeritur num nihilominus, *si omnia simul in concreto spectantur, sustineri possit hoc* argumentum S. Augustini: « *...quo pacto illis credituri sunt de resurrectione mortuorum et de spe vitae aeternae regnoque caelorum, quando de his rebus quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos?* », et illud simillimum: « Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum Bibliorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur ». — Prior locus v. de Gen. ad lit. l. 1 c. 19 n. 39 ML 34, 261; alter ep. 28, 3 ML 33, 112-3. — Quam similemve argumenti formam etiam approbant Theologi Hispani l. c. n. 410 p. 182. — Melchior Canus, loc. theol. l. 2 c. 17. — Bellarminus l. c. n. 458 p. 212. — Denzinger, Vier Bücher... II p. 220. — De San n. 375 p. 299-300, alii multi.

499. — *Affirmativum responsum* pluribus evolvit Crets p. 263-7. Cuius responsi summa haec est:

a) Agitur de libris, qui ideo inspirati sunt ut qua libri divini, fide divina amplectendi, *instructioni fidelium* primarie in rebus fidei et morum inserviant. Proinde ita in concreto proponantur necesse est, ut pro hoc fine non sint sive absolute sive moraliter loquendo inepti.

b) De facto Scriptura *a Deo proposita est ut sua, quin ulla aut in libris ipsis aut in Traditione Patrum vel umbra normae appareat,* secundum quam ea, quae in his libris inspirata sunt, a caeteris distinguantur. Quae vero normae a priori statuuntur, nullius valoris sunt.

c) Qui modestissimi sunt in restringenda inspiratione, dicunt obiter dicta non certo esse inspirata. At sane *difficile est distinguere res obiter dictas et profanas a rebus fidei et morum.* Porro multi etiam docti facile putabant, eiusmodi sententias, quae nequaquam indifferentes sunt, at suis *ideis praeconceptis historicis, imo etiam religiosis,* repugnant, ad res indifferentes pertinere.

d) Quodsi putas, haec pericula evitari posse *decisionibus infallibilibus magisterii ecclesiae,* decipi videris. Etenim certo certius nulla norma in Traditione contenta est, secundum quam vel ipsa ecclesia locos inspiratos a non inspiratis discernere possit. Revelationes vero ecclesia non recipit.

e) « Ad haec, quis non videt *practice impossibile esse, ut Ecclesia continuo iudiciis suis interveniat* ad statuendum, talem sententiam, quae

nonnullis falsa vel inverisimilis apparet, reapse esse sententiam obiter dictam, vel textum aliquem, qui conclusionibus scientificis contradicere quibusdam videtur, revera nexum non habere cum veritatibus religiosis? Pone etiam illud identidem definiri ab Ecclesia, nemo non videt *interim fidei unitatem in Ecclesia admodum perturbari*, ac etiam talibus Ecclesiae iudiciis Bibliorum auctoritatem in caeteris mirum quantum minui » p. 267.

f) Possent utique esse, qui his considerationibus non obstantibus opinarentur doctrinam, non omnes et singulas sententias esse inspiratas, omni periculo carere, cum *assumi posset « Deum speciali assistentia Scriptorem praeservasse immunem ab errore in talibus »*. At contra eos qui talia sentiunt, « reponimus, *eorum praecipuum cadere argumentum contra horum inspirationem,* scilicet Deum illa minutissima, familiaria et tralaticia non curare. Si enim in illis scribendis scriptori astiterit, illa curat; quare ergo, amabo, talia inspirasse Deum dedecuisset? » p. 274.

Difficultates contra vim definitionum Concilii Tridentini et Vaticani.

500. Obi. 1. — In articulo citato n. 415 p. 185 in quo proponit doctrinam suam, obiter dicta non esse inspirata, Card. NEWMAN etiam ex Concilio Tridentino et Vaticano argumentatur. Quae eius argumentatio, quamvis hoc vel illud contineat, quod alio in loco refutandum suscipimus, tamen, ut melius capiatur, fere ex integro hic apponenda esse videbatur:

« Ici se pose cette importante question: sous quel rapport les livres canoniques sont-ils inspirés? Ce ne peut être sous tout rapport, sans cela nous serions obligés de croire comme article de foi, que « la terre est éternellement immobile » *terra in aeternum stat*, que le ciel est au-dessus de nous et qu'il n'y a pas d'antipodes. En soi, il paraît indigne de la grandeur divine que le Tout-Puissant ait pris, dans la révélation qu'il nous a faite de lui-même, un rôle purement profane et assumé l'office de simple narrateur, d'historien, de géographe, sinon dans la mesure où les matières profanes importent directement à la vérité révélée.

En fait, *les conciles de Trente et du Vatican* répondent à cette attente; ils *nous disent clairement l'objet sur lequel porte la promesse de l'inspiration dans l'Ecriture. Ils spécifient " la foi et les moeurs ", comme le but de l'enseignement garanti par l'inspiration.* Ce dont nous avons besoin, et ce qui nous est donné, n'est pas une éducation pour la vie présente; nous avons des dons naturels abondants pour la société humaine et les avantages qu'elle assure; mais nous avons grandement besoin de savoir comment nous devons nous conduire dans nos pensées et dans nos actes à l'égard de notre Créateur, et comment nous trouverons des enseignements dignes de confiance en cette pressante nécessité.

Par quatre fois le concile de Trente insiste sur ce point que « la foi et les moeurs » sont le but de l'enseignement inspiré. Il déclare que « l'Evangile » est « la source de toute verité *qui sauve* et de toute *instruction morale* », que cette *verité* et cette *instruction* sont contenues, sous

la dictée du Saint-Esprit, dans les livres écrits et dans les traditions non écrites. Ensuite il parle des livres et des traditions, « qui ont rapport à la *foi* ou aux *moeurs* », et ensuite de la confirmation des *dogmes* et de l'institution des *moeurs*. Enfin il prévient le peuple chrétien, « en matière de *foi* et de *moeurs* », contre ceux qui détournent l'Ecriture à leur sens propre.

De la même manière, le concile du Vatican définit que la révélation surnaturelle consiste « dans les choses divines », *in rebus divinis,* et qu'elle est contenue « dans les livres écrits et les traditions non écrites », *in libris scriptis et sine scripto traditionibus.* Il parle aussi de ces esprits hasardeux *(petulantia ingenia)* qui avancent des interprétations mauvaises de l'Ecriture, « dans les choses de la *foi* et des *moeurs* qui ont rapport à l'édification de la doctrine chrétienne », *in rebus* fidei *et* morum *ad aedificationem* doctrinae *christianae pertinentium.*

Mais, tandis que les conciles, comme on vient de le montrer, établissent si amplement l'inspiration de l'Ecriture en ce qui regarde « la foi et les moeurs », il est remarquable qu'ils ne disent pas un mot qui ait directement trait à l'inspiration en matière de faits. Devons-nous conclure de là que la mention des faits dans l'Ecriture n'est pas sous la garantie de son inspiration? Nous ne pouvons le faire; en voici la raison évidente. Le récit sacré poursuivi à travers tant de générations, qu'est-ce autre chose que la vraie matière de notre foi et la règle de notre obéissance? N'est-ce pas ce récit lui-même qui est l'enseignement surnaturel pour lequel est donnée l'inspiration?... Tel est le droit qu'a l'histoire biblique, dans sa plénitude substantielle, à être acceptée de foi comme veritable. A ce point de vue, l'Ecriture est inspirée, non seulement en ce qui regarde la foi et les moeurs, mais dans toutes les parties qui ont rapport à la foi, en y comprenant les faits ».

501. — **R.** N. suppositum in quo innititur explicatio Tridentini, quam auctor proponit.

Verba maioris momenti in loco citato sunt haec, quae litteris italis exhibuimus: « Ils [i. e. concilia] nous disent clairement l'objet sur lequel porte la promesse de l'inspiration dans l'Ecriture. Ils spécifient " la foi et les moeurs ", comme le but de l'enseignement garanti par l'inspiration ».

Non videtur posse statui alia coniunctio inter primam et secundam phrasim Cardinalis quam causalis. Unde phrases hunc sensum dant: Concilia nobis clare dicunt obiectum, in quod fertur inspiratio Scripturae. Nam determinant « fidem et mores » ut finem instructionis, cuius vadem se facit inspiratio. Iamvero haec illatio a fine ad obiectum materiale locutionis non valet, nisi aut *demonstras aut demonstratum supponis, Deum non posse loqui de eiusmodi re profana*, qualem Newman a sacra historia distinguit, *et tamen habere finem*

principalem instruere de rebus fidei et morum. Unde in pluribus phrasibus quae verba citata praecedunt, de facto Newman probare nititur, hanc suam suppositionem rectam esse. Argumenta vero affert duo.

502. — Primum est, quod, si Deus eiusmodi profana eloqueretur, singula quaedam obiter dicta de rebus profanis essent articuli fidei. Secundum est, quod Deus loquendo de rebus profanis faceret simplicem historiographum, excepto casu in quo hae res haberent momentum *directum* pro rebus fidei et morum.

At, quod ad *primum argumentum* spectat, *sane non sequitur, eiusmodi res, si sint inspiratae, esse articulos fidei.* Etenim articuli fidei a caeteris rebus credendis eo distinguuntur, quod articuli fidei sunt eiusmodi res credendae, quae *primo propter se ipsas revelatae sunt, et secundo inter has ipsas res propter se revelatas vel principaliores sunt.* Si autem auctor dicere vellet, eas res obiter dictas fide divina credi non posse, eundem errorem proferret atque Holden, alii, quos postea data opera refutabimus.

Secundum argumentum quod attinet, *auctor ne studet quidem demonstrare non posse esse aliquem nexum verum, attamen non directum, sed tantum indirectum inter narrationem alicuius rei profanae et instructionem de rebus fidei et morum.* Talem vero iam indicavimus n. 404 p. 179. Cf. etiam quae diximus occasione loci S. Augustini n. 436 p. 198-9. — De tali nexu indirecto pluribus data opera agemus propositione XV.

Si ergo falsas doctrinas theologicas supponis, tunc et tunc tantum concilium eo ipso quod definit, finem doctrinae inspiratae principalem esse instruere de rebus fidei et morum, etiam indirecte docuit obiectum inspirationis esse solas res fidei et morum. At doctrinae falsae non possunt assumi ut medium explicandi definitionem conciliarem.

503. Obi. 2. — Patres, post definitionem de Traditione et de Scripturae libris, qui integre cum omnibus suis partibus ut sacri suscipiendi sint, adiungunt: « Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis et praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura ».

Unde ita: *Finis decreti de inspiratione Scripturae est confirmatio dogmatum et instauratio morum,* mediantibus Scripturis inspiratis.

Atqui certe *finis alicuius scripti est primum, quod in hermeneutica respici debet. Ergo definitio de inspiratione Scripturae respicit etiam ut obiectum tantum eas partes Scripturae, quae ad hunc finem necessariae sunt,* i. e. quae tam necessarium habent nexum cum dogmatibus et moribus, ut, si illae corruerent, ipsa dogmata et mores corruerent. Ergo haec concilia hoc unum definiunt, Scripturam esse inspiratam in eiusmodi partibus.

504. — R. 1) *Nego suppositum,* quod argumentationis fundamentum esse videtur, scilicet ex fine verba decreti primario esse declaranda.

Etenim regulae hermeneuticae id sibi volunt, ut *primo et primario ipsa verba explicanda examini subiciantur.* Quae si omnino clara sunt, pro explicatione non est recurrendum ad finem, propter quem prolata sunt. Id quod ita verum est, ut aliquando finis quidem propter quem verba prolata fuerint absconditus sit, verba autem ipsa sensum manifestum fundent. Utique si verba aliqaum ambiguitatem in se habent, primaria quaedam ratio explicationis ex fine loquentis petenda est.

Iamvero verba concilii clara sunt: libri integri cum omnibus suis partibus statuuntur canonici a Concilio Tridentino, declarantur inspirati a Concilio Vaticano. In quibus libris evidentissime multae et longae partes continentur, quae etsi desunt, nullum dogma sua argumentatione etiam scripturistica caret, nulli mores concidunt. Cogita v. g. librum Esther.

505. — R. 2) Dist. mai.: *Finis ultimus decreti erat ut melius confirmarentur singula multa dogmata et instaurarentur mores* c.; *finis proximus is erat,* n. — *Finis proximus erat, definire doctrinam catholicam de fontibus fidei,* qui sunt Scriptura inspirata et Traditiones de rebus fidei et morum. Definiebantur Traditiones, quia iis temporibus negabatur, eas esse fontem revelationis. Definiebatur Scriptura ut canonica, ut videtur propter quandam plenitudinem doctrinae de fontibus revelationis. Definiebatur, libros integros cum omnibus suis partibus esse canonicos, quia canonicitas quarundam partium tunc temporis negata erat. Utique ultimatim definiebatur Scriptura propter res fidei et morum ex ea hauriendas. At ideo ecclesiae est, Scripturam, uti est in concreto, definire, quia Deo placuit librum illum integrum, uti est in concreto, cum suis rebus etiam non fidei et morum, qua fontem fidei nobis dare.

Exemplum sume e re iudiciali. Si coram iudice lis movetur de quibusdam fundis, si porro de his in quodam documento sermo est, prius *documentum, uti in concreto est, genuinum declarari solet,* quamvis forte etiam de quibusdam aliis rebus quam de fundis in documento isto agatur.

506. — Etiam ex eo difficultas petitur, quod Concilium Tridentinum, quando in Decreto « Praeterea » Denz. 785 de interpretatione Scripturae agit, id unum docet, in rebus fidei et morum *interpretem catholicum debere amplecti eum sensum, quem statuit sancta mater ecclesia.* Aiunt ergo, ex hoc decreto proxime quidem illud solum colligi debere, Scripturam ab ecclesia infallibiliter explicari in solis rebus fidei et morum ; remote tamen illud quoque sequi, *Scripturam tantum in rebus fidei et morum inspiratam esse.*

At quia ad hanc difficultatem melius responderi posse videtur *in coniunctione cum alia difficultate hausta in genere ex obiecto infallibilitatis ecclesiae,* eam ad illam propositionem reicimus, in qua difficultates ex obiecto infallibilitatis haustas solvendas suscipimus.

Propositio XIII. — Omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas, probatur ex doctrina Christi et apostolorum in Scripturis proposita.

507. — **Lit.** — *Citationes ex Vetere Testamento,* quae in Novo inveniuntur, collegit v. g. Eugen Hühn, Die Alttestamentlichen Citate u. Reminiscenzen im Neuen Testament 1900, 300. Summa rei p. 269-81. — Wilhelm Dittmar, Vetus Testamentum in Novo, Göttingen 1903, 362. — *Quoad modum argumentandi* praecipue De San, p. 280-4. — Pesch n. 433 p. 441, collatis n. 382-4 p. 387-9. — Praeterea ea lit. quam *de 2 Tim. 3, 14-17* citavimus n. 338 p. 151, cui adiungatur v. g.: F. X. Patritii Commentationes tres, Romae 1851, Comment. 1. § 5 p. 11-6.

508. — E multorum auctorum persuasione palmare quidem argumentum pro inspiratione omnium sententiarum Scripturae situm est in doctrina clarissima et copiosissima Patrum. At neque ipsa S. Scriptura silet.

Sufficit etiam in hac thesi *Scripturam sub ea formalitate sumere, quam thesi V.* n. 322 p. 144 exposuimus. Quae in eo est, quod Scriptura doctrinam Christi et apostolorum nobis exhibet. — At ii adversarii, qui tantum inspirationem obiter dictorum negant, facile permittent, ut saltem maiorem partem textuum e quibus arguemus, ut inspiratam assumamus. Solent enim hi textus evidenter esse de rebus fidei et morum.

PARS I. — NULLUS LOCUS SCRIPTURAE VI MATERIAE, QUAM CONTINET, AB INSPIRATIONE EXCLUDITUR.

509. — Modus procedendi. — Hac priore parte nondum probamus, omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas, sed proxime id unum demonstramus, *inspirationem extendi ad omnia genera sententiarum,* in quantum ea ratione materiae diversimode distinguuntur.

Ratio huius modi procedendi duplex est. Prima est, ut *directe argumentis propriis ex Scriptura haustis* eas quoque sententias refutemus, quae non tantum obiter dicta, verum etiam partes maioris et momenti et molis ab inspiratione excludebant. Secunda est, ut rationem praecipuam destruamus, ob quam vera inspiratio omnium et singularum sententiarum a quibusdam negabatur. Haec enim praecipue se tenebat ex parte materiae in sententiis contentae. (Cf. n. 410-7 p. 181-7).

Quia vix negatum est, saltem ea esse inspirata, quae ab hagiographis *ut revelata* adducuntur, assertum nostrum tantum *de aliis quibusdam divisionibus sententiarum* probamus. — Clarum est, ad probationem per se iam sufficere, si ex omni genere sententiarum unum exemplum certe inspiratum affertur. Paullo plura tamen ex amplissima materia afferemus.

Modus probandi generatim is est: Ea sine dubio a Domino vel apostolis habentur *inspirata, quae ab iis diserte adducuntur sub formula solemni « Scriptum est, » vel simili.* Cf. th. V ; Franzelin th. I. II. Atqui *omnia genera sententiarum,* quarum inspiratio vi materiae in iis contentae a quibusdam catholicis negabatur, *sub tali formula a Domino vel apostolis adducuntur.* Ergo e mente Christi et apostolorum nullus locus vi materiae, quam continet, ab inspiratione excluditur.

Inspiratio non coarctatur ad eas sententias, quae ab hagiographo ad Deum ut revelantem reducuntur.

510. — Mt. 4, 4 (Lc. 4, 4) Dominus Noster Iesus Christus sub formula « scriptum est » allegat Deuteron. 8, 3 : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei », quibus verbis Moses providentiam Dei de populo Israelitico in deserto peregrinante explicat. — Mt. 4, 6 (et Lc. 4, 10-11) sub eadem formula

citat Ps. 90, 11 : « Quia angelis suis mandavit (Deus) de te, et in manibus tollent te ». Quae verba non sunt revelantis Dei sed ipsius Psalmistae. — Gal. 3, 10 : « Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis ut faciat ea ». Quae Deut. 27, 26, non ex revelatione proferuntur, sed sunt inter ea, quae Moses a Levitis pronuntiari iubet. — Gal. 3, 13 argumentum fit e verbis Deut. 21, 23 : « Maledictus omnis qui pendet in ligno ». Verba autem Mosis sunt. — Hebr. 1, 6 verba : « Et adorent eum omnes angeli Dei (omnes Elohim) », a Psalmista quidem suo nomine proferuntur, a Paulo autem ut a Deo dicta referuntur. — Hebr. 1, 7 : « Et ad angelos quidem (relate ad angelos) dicit (Deus).... Qui facit angelos suos Spiritus ». Quae verba sunt Psalmistae Ps. 104, 4, qui ex operibus creationis laudes Dei celebrat. — Hebr. 12, 5 : « Et obliti estis consolationis, quae vobis tamquam filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini : neque fatigeris dum ab eo argueris ». Est admonitio Sapientis Prov. 3, 11. — Iac. 4, 6 hoc legitur : « Maiorem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». Quae sunt verba ipsius Sapientis proprio nomine loquentis Prov. 3, 34.

Inspiratio non coarctatur ad eas sententias, quae res religiosas thetice enuntiant, verum etiam extenditur ad historiam religiosam.

511. — Celeberrima sunt verba narrativa Gen. 15, 6 : « Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad justitiam ». Quae S. Paulus, Rom. 4, 3 citat sub formula: « Quid enim dicit Scriptura? » Item S. Iacobus 2, 23 sub formula: « Et suppleta est Scriptura dicens ». Sunt autem verba ab hagiographo nomine suo prolata. — Rom. 8, 36 : « Sicut scriptum est : Propter te mortificamur tota (omni) die, aestimati sumus sicut oves occisionis ». Quae sunt verba narrativa orantis Deum Ps. 44, 23 — Rom. 11, 2. 3 : « An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus et quaerunt animam meam ». Verba sunt Eliae, quae referuntur 1 Reg. 19, 10. — 1 Cor. 10, 7 : « Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis ; quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere ». Haec vero ab hagiographo narrantur inter caetera, quae de scena adorationis vituli aurei historice referuntur Ex. 32, 6. Attendatur, Paulum uti so-

lemni formula : scriptum est. Intelliguntur epulum sacrum et chori sacri. Cf. HUMMELAUER, Com. in Exod. p. 312.

Inspiratio non coarctatur ad eiusmodi sententias, quae, si sensus eorum historicus respicitur, dicunt proximum quendam nexum cum rebus fidei et morum.

512. — « Apostolus Paulus, quando ad inculcandam auctoritatem divinam aliquorum textuum, eos citat sub his formulis : Scriptura dicit, scriptum est, haud raro urget sensum typicum horum textuum. Porro quidam ex his textibus, *quantum praecise attinet ad sensum eorum historicum, neque sunt de numero veritatum per se religiosarum, neque obvio aliquo nexu cum hisce veritatibus cohaerent.* Talis est v. g. locus Geneseos quem affert apostolus in ep. ad Gal. IV 22. Urget ibi sensum allegoricum huius loci, ut inde ostendat quaenam sit differentia exsistens inter testamentum vetus et testamentum novum. " Scriptum est, inquit, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla (Gen. XVI, 16 coll. 3) et unum de libera (Gen. XXI, 2)... Quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta ". Ut autem stet sensus typicus a se intentus, vim facit in eo quod Ismael natus est ex ancilla. Quae certe propositio, si unice consideretur secundum sensum suum historicum non immediato atque obvio aliquo nexu cohaeret cum veritatibus per se religiosis. Et tamen *nequit esse inspiratus sensus eius typicus, nisi etiam sit inspiratus sensus eiusdem historicus.* Immo, attento ordine prioritatis naturae, prius est ipsum esse inspiratum quantum ad sensum suum historicum quam eum esse inspiratum quantum ad sensum suum typicum. Et ratio sic dicendi est quod nonnisi mediante sensu historico valet aliquis locus habere sensum etiam typicum ». DE SAN n. 356 p. 283. Cum ratio, quae in ultima phrasi adducitur, ab omnibus concedatur, hic sumi posse videtur.

PARS II. — OMNES ET SINGULAE SENTENTIAE INSPIRATAE SUNT.

Argumentum I. — E citationibus.

513. — Secundum Dominum et apostolos omnis omnino sententia Scripturae est absolutae auctoritatis. Atqui e mente Domini et apostolorum haec auctoritas omnis sententiae Scripturae ex inspiratione est. Ergo secundum Dominum et apostolos omnes et singulae sententiae inspiratae sunt.

514. — *Probatur maior.* Ac *primo* quidem plurimi loci S. Scripturae a Domino et apostolis *uti sententiae infallibilis auctoritatis adducuntur*, HÜHN l. c. p. 269-70 numerat citationes 286, « reminiscentias » seu allusiones 3578. Qui loci agunt de veritatibus revelatis sive non revelatis; de veritatibus religiosis theoreticis sive practicis; de veritatibus religiosis theticis sive de historia sacra; de historia denique sacra sive etiam de rebus, quae per se aliquem proximum nexum cum veritatibus religiosis sive cum historia sacra habere non videntur. Numquam vero aliquod indicium habetur, Dominum vel apostolos admittere, unam vel aliam sententiam non esse absolutae auctoritatis. Iamvero ex hoc certe iam praesumptio quaedam oritur, eos omnes sententias Scripturae habuisse ut absolutae auctoritatis.

Secundo. Res clarissima redditur eo, quod saepissime — HÜHN p. 269 (cf. quoque p. 271-6) numerat locos fere 100 — a Domino et apostolis data opera *asseritur, aliquid ideo esse absolute verum, quia « scriptum est, Scriptura id dicit »* etc. Etenim *formalitas,* quae hac vel simili phrasi redditur, quod scilicet aliqua sententia « scripta est », ea dico formalitas certe *eodem modo invenitur in omni* parte Scripturae, in omni eius inciso, in omni *eius particula.* — Ergo secundum Domini et apostolorum doctrinam omnis sententia in Scripturis contenta absolutae auctoritatis est.

515. *Minor* utique staret, etsi hoc unum demonstraretur, aliquando eam rationem pro absoluta veritate alicuius sententiae reddi, quod ea sententia scripta sit. At cum haec veritas in concreto modo tam amplo in Scripturis proponatur, cumque simul tanti momenti sit, iuverit summa capita integrae materiae proponere. Id quod etiam ad id conferet, ut ipsa inerrantia Scripturae, de qua postea erit sermo, e Scriptura faciliore et ampliore ratione probari possit.

Quoad omnes sententias simul sumptas.

516. — Principium clarissimum quoad omnia, quae in Scripturis continentur, Iesus proponit Io. 10, 34-6 : « Nonne scriptum est in lege vestra quia: Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et *non potest solvi Scriptura (ἡ γραφή),* quem Pater sanctificavit et misit in mundum vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? ». Cf. quoque Mt. 5, 18.

Citatio est ex Psalmo 81, 6. *Lex* hic dicitur *tota Scriptura Veteris Testamenti,* uti Io. 7, 49 ; 12, 34 ; 15, 25. Cf. de hoc modo loquendi apud Iudaeos

Cornely Introd. I² n. 15, 7 : apud ipsos Christianos Zahn, Geschichte des Neutestamentlichen Kanons I 1 p. 95 — *Solvi Scripturam* idem est atque eam irritam fieri, excidere, reici, aboleri (Knabenbauer ad l.); B. Weiss⁹ 1902 ad l. « i. e. irrita declarari, uti fieret, si quis vellet negare consequentiam ex Scriptura deductam, etiam homines, ob eorum relationem ad Deum, posse vocari Deos ».

Quoad vaticinia Messianica.

517. — Ac primo quidem Dominus et apostoli continuo *ex vaticiniis Messianicis* sive dignitatem Messianicam in Iesu a Nazareth sive regnum Messianicum in ecclesia impletam esse *demonstrant.* — Secundo data opera et Dominus et apostoli premunt, vaticinia *ideo implenda esse, quia scripta sunt.*

518. — *Christus ipse ad omnia vaticinia de vita et morte et resurrectione sua simul sumpta* hanc rationem applicat Lc. 24, 25-7 : « O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae ! Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam ? Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant ».

Aliquando Dominus pronuntiat, *aliquem singularem eventum ideo locum habiturum esse, quia scriptus sit.* Mt. 26, 31 : « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis ».

Eadem cogitatio *aliis similibus locutionibus* exhibetur. V. g. Mt. 21, 42-3 : « Numquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli ? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. *Ideo dico vobis,* quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius ». — Mt. 26, 54 : Si, uti possum, rogarem Patrem, ut mitteret angelos ad meam defensionem, « *quomodo ergo implebuntur* Scripturae, quia sic oportet fieri ? » — Io. 13, 18 : « Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed *ut adimpleatur Scriptura :* Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum ».

In luce horum textuum sine dubio eadem necessitas exprimitur *etiam iis formulis, quibus vi ipsius termini simpliciter enuntiatur rem fieri, sicuti scripta est.* V. g. Mt. 11, 10 de Ioanne Baptista Dominus dicit : « Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam » etc. — Lc. 4, 21 Iesus de se, in quantum evangelium annuntiat, hoc affirmat : « Quia hodie impleta

est haec Scriptura in auribus vestris ». — Lc. 28, 18 generatim enuntiat : « Ecce, ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis ». — Mt. 26, 24 : « Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo ».

519. — Eadem est ratio agendi *apostolorum,* cum toties e vaticiniis argumenta desumunt. Ita S. Petrus Act. 1, 20 ex Psalmo 108, 8 deducit, in locum Iudae alium apostolum esse substituendum. « Viri fratres... oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus.... Scriptum est enim in libro Psalmorum:... et episcopatum eius accipiat alter ». — Act. 17, 2. 3 « Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis. Adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis : et quia hic est Iesus Christus, quem ego annuntio vobis ».

Quae argumentatio apostolorum ad omnes sensus differentias extenditur, etsi uno tantum verbo adiecto significatae sunt. S. Paulus Hebr. 8, 13 ex verbis Jeremiae : « Consummabo testamentum *novum*... ita argumentatur v. 13. « Dicendo autem novum, *veteravit prius* ». Gal. 3, 16 ex eo quod *semini, non seminibus* promissiones datae sunt, arguit, eas uni Christo destinatas esse : « Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus ». Etc.

Quoad veritates dogmaticas proxime theoreticas.

520. — *Iesus Christus* ex Scriptura v. g. Mt. 22, 29-31 ita probat resurrectionem mortuorum : « Erratis, nescientes Scripturas... De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham... » — Mt. 22, 43 : ex eo quod David in psalmo vocat Messiam Dominum suum Iesus probat, Messiam non esse tantum filium David : « Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? » Alia plura eius generis habentur.

521. — *Apostoli* continuo ipsa dogmata e Scriptura demonstrant. V. g. S. Paulus praestantiam fidei probat Hebr. 10, 38 ex sententia prophetae : « Iustus autem meus ex fide vivit ». — S. Stephanus magnitudinem Dei ex Isaia celebrat Act. 7, 49. Etc. — Addunt data

opera, ea ideo esse vera, quia cum Scriptura conveniunt, quia « scripta sunt ». Cf. quae mox n. 519 p. 239 diximus. Vel cf. nota illa verba Rom. 10, 10-11 : « Corde enim creditur ad iustitiam ; ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur ».

Quoad praecepta morum.

522. — Iesus Christus et apostoli e Scriptura Veteris Testamenti probant, praecepta morum fuisse *rationi conformia, si de praeceptis temporariis* agitur ; ea esse simpliciter *obligatoria, si de aeternis* sermo est. Aliquando etiam hic addunt illud : « Scriptum est ».

V. g. Mt. 4, 4. 7. 10 *Iesus* diabolo opponit regulas agendi ex Scriptura haustas : « Scriptum est : Non in solo pane vivit homo... Non tentabis Dominum Deum tuum ... Dominum Deum tuum adorabis... » — Licere sabbatis miraculosa ratione curare infirmos ad fines religiosos sublimes obtinendos, Dominus Lc. 12, 5 ita probat : « Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? » — Misericordiam premendam esse Mt. 12, 7 deducit ex Osea 6, 6 ; « Si autem sciretis, quid est misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes ». — Iubet Mt. 8, 4, « offer munus, quod praecepit Moyses ». — E quarto praecepto ut divinitus in lege dato arguit Mt. 15, 4. 6, illicitas esse machinationes quasdam pharisaeorum, quibus indirecte, sub specie virtutis religionis, contra hoc praeceptum agebant. — Mt. 18, 16 suam dignitatem servat praecepto de duobus testibus adhibendis. — Mt. 19, 18. 19 omnia praecepta quoad proximum ex decalogo scripto repetit. — Mt 22, 37-9 ex duplici praecepto legis probat, omnem perfectionem in amore Dei et proximi sitam esse.

523. — Etiam *apostoli* ex praeceptis sive parvis, sive magnis in Scriptura occurrentibus argumentantur. V. g. S. Paulus 1 Cor. 9, 9-10 ex praecepto legis » non alligabis os bovi triturauti » ut rationabili, consequentiam deducit, fideles obligari ut necessaria subministrent iis, qui pro earum salute adlaborant. — Rom. 13, 8-9 ex decalogo demonstrat : « qui diligit proximum, legem implevit ». — S. Iacobus loco iam citato 2, 22-3 ex laudibus Abrahae ab hagiographo tributis deducit, et fidem et opera ad iustificationem requiri ».

Quoad historiam sacram.

524. — *Dominus* res historicas in Scriptura narratas uti certas adducit easque valde particulares, non tantum quasi « lineas ma-

gnas » factorum, quas dicunt. V. g. Mt. 12, 4 quid apostolis utpote in similibus circumstantiis positis, liceat, colligit ex exemplo David comedentis panes propositionis. — Item Mt. 24, 37-8 et Lc. 17, 28. 29. 32 ea quae ante diluvium facta sunt, ut exempla eorum proponit, quae ultimis temporibus evenient. Quibus in locis res valde particulares, quaeque minoris momenti videri possent, commemorat : « Descendit sulphur de coelo et perdidit omnes... Memores estote uxoris Lot », quae tam subitanea clade perierit, quia in fuga vel minimum tardaverit. — Lc. 4, 25. 27 rationem, qua concives Nazarethani secum agebant, illustrat ex eo, quod olim Israelitae, concives Eliae et Elisaei, etiam horum prophetarum dignitatem propheticam negligebant. — Io. 3, 14 ut typum salvationis per se Christum obtinendae, id proponit, quod Moses narrat de serpente, quem in deserto erexit, atque de salute eorum, qui fide in illum respiciebant. — Io. 6, 32 confirmat manna coelitus datum esse.

525. — *Apostolos* quod attinet, S. Paulus per integrum fere c. 11 ad Hebraeos v. 7-39 facta multa ex diversis saeculis in Vetere Testamento enarrata adducit, ut iis sententiam suam probet: « in hac (fide) consummati sunt senes ». Generatim haec facta sunt sat particularia. V. g.: « Fide Ioseph de ossibus suis mandavit... Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum... Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem » etc. Lege totum caput. — S. Petrus 2 Petr. 2, 15-6 ad singula ex historia Balaam descendit : « erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suae vesaniae : subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetae insipientiam ».

Etiam eiusmodi facta adducuntur cum formula solemni « scriptum est ». Cf. quae diximus n. 511 p. 235 de 1 Cor. 10, 7: « ... et surrexerunt ludere »; Rom. 11, 4 de Elia. Etc.

Quoad facta, quae e natura sua cum factis religiosis vix nectuntur.

526. — Etiam eiusmodi facta adducuntur idque cum formula « scriptum est ». Cf. quae n. 512 p. 236 diximus de textibus Geneseos 16, 3. 16. — Lex quoque illa, quam S. Paulus adducit 1 Cor. 9, 9 : « Scriptum est enim in lege Moysi, non alligabis os bovi

trituranti », ex natura sua vix habet relationem directam ad res fidei et morum. Cf. CRETS p. 278.

Difficultates contra vim argumentorum.

527. — Obi. 1. — A Domino et apostolis sive aliis similibus verbis sive praecipue per formulam: « Scriptum est », *tantum eiusmodi sententiae ut inspiratae exhibentur, quae sunt de rebus fidei et morum, praecipue de vero Messia demonstrando.* Ergo ex hac ratione citandi tantum sequitur, textus de rebus fidei et morum, qui in Scriptura continentur, esse inspiratas. — Cui animadversioni eo plus ponderis ascribendum est, quia tot sunt citationes inter quas plus quam centum cum formula: « scriptum est » vel simili.

R. *Trans. antecedens. Nego consequentiam.* — Etenim si ratio inspirationis horum textuum ex eo repetitur, quod in Scriptura inveniuntur, sequitur, eandem perfectionem debere omnibus textibus attribui, qui in Scriptura inveniuntur. — Quod vero Christus et apostoli frequentius de textibus ad fidem et mores spectantibus sermonem faciebant, atque consequenter frequentius de intima causa auctoritatis eorum textuum agere debebant, hoc sane ex materia praedicationis eorum provenit. Haec enim per se erat de rebus fidei et morum, praecipue de demonstranda dignitate Messianica Christi. Neque mirandum esset, si inter centum fere citationes cum formula « scriptum est » vel simili, nulla inveniretur, quae esset de re simpliciter profana.

Sume *exemplum.* Cogita v. g. aliquos equites Romanos, qui ideo certorum privilegiorum dicuntur esse participes, quia sunt cives Romani. Ex hac ratione quae pro privilegiis equitum redditur, patet, non tantum omnes, qui et cives Romani et equites sunt, his privilegiis gaudere, sed eos omnes quoque alios, qui, etsi non ad ordinem equitum Romanorum pertinent, tamen vere cives Romani sunt. Poterat quoque per accidens evenire, ut v. g. aliquando in aliqua statione militari invenirentur multi cives Romani, qui erant simul equites, nullus vero inveniretur, qui non ad ordinem equitum pertineret.

528. — Obi. 2. — Ex eo quod pro absoluta veritate rei scriptae vel pro inspiratione alicuius loci ea ratio redditur: « scriptum est », non sequitur, eandem formalitatem inspirationis inesse in omnibus, quae in Scriptura inveniuntur. Nam ut *a pari* argumentemur, ad asserendam absolutam veritatem alicuius sententiae in theologia

tractatae etiam afferimus hanc rationem: *res invenitur in Conciliorum decretis dogmaticis. Tamen verum non est, omnia quae in Conciliorum decretis dogmaticis inveniuntur, esse absolutae auctoritatis.* Etenim etiam in decretis dogmaticis Conciliorum inveniuntur obiter dicta, quae non necessario vera sunt. Ergo modus argumentandi adhibitus illegitimus est.

R. *N. assertum.* Ad rationem additam: *Nego paritatem* in modo quo asserimus auctoritatem pro sententiis, quae ex Scriptura, et pro iis, quae ex Conciliis probantur. Etenim *cum agitur de citandis decretis Conciliorum* ut plenam auctoritatem facientibus, *subintelligitur* haec determinatio rationis qua citatio fit: « invenitur in decretis Conciliorum *ut definitum* ». *Aliunde* enim, ex doctrina de Conciliis, *scitur, in decretis Conciliorum etiam contineri eiusmodi sententias, quae definitae non sunt.* Id quod ordinarie in modo citandi ideo non exprimitur, quia ordinarie locum non habet, sed exceptio quaedam est. At in traditione nihil continetur de diversitate auctoritatis sententiarum, quae in Scriptura inveniuntur. Cum autem talis diversitas si adesset, nota esse deberet, recte non adesse affirmatur.

Argumentum II. — 2 Tim. 3, 14-17.

Lit. V. n. 338 p. 151 et n. 507 p. 233.

529. — Iuvat repetere textum: « Tu vere permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus *(πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγμόν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ)* ».

530. — **Praenotanda** *quoad criticam textus, explicationem eius grammaticalem et verbalem, sensum loci generice sumptum.* — Quibus in rebus diversae sunt sententiae. Quas, si excipis id quod de sensu loci in genere dicendum est, non ideo exponimus, ac si vis argumentationis ex eo penderet, ut una certa ex his sententiis ceu unice vera assumeretur, sed ut diversae formae argumentationis intelligantur.

Quoad criticam textus. — *καί* melius retinetur quam omittitur. Cf. TISCHENDORF ed. 8 maior. — WESTCOTT-HORT 1881.

531. — Quoad explicationem grammaticalem et verbalem textus. — *θεόπνευστος sumitur aut attributive aut praedicative.* Utrumque tum rationibus tum auctoritatibus etiam recentibus defenditur. Cf. multas sententias recensitas v. g. apud ALFORD l. c. p. 396-7. — E recentioribus dictionem attributivam praeferunt v. g. BELSER l. c., WOHLENBERG l. c.; praedicativam PATRIZI l. c., VON SODEN l. c. — Prius si praefers, vertendum est: « Omnis Scriptura inspirata etiam utilis est ad docendum ». — Secundum si tibi praeplacet, vertes: « Omnis Scriptura est inspirata et utilis ad docendum ».

532. — *πᾶσα aut distributive sumitur aut collective.* Utraque sententia suos patronos habet.

Probabile est, πᾶσα sumi distributive. Nam 1) *πᾶσα* hic invenitur sine articulo. Iamvero hoc habet F. BLASS, Grammatik des Neutestamentlichen Griechisch [2] 1902 p. 163: « *πᾶς* ante substantivum sine articulo significat: quilibet ». Similia tradit WINER-MOULTON: A Treatise on the Grammar of New Testament Greek [3] 1882 sect. 18 p. 137. Ita saltem est regula. De exceptione postea sermo erit. — 2) Aliunde probabile est, *γραφή* significare hic « locus Scripturae ». Etenim valde probabile est, S. Paulum usum loquendi Domini atque caeterorum apostolorum secutum esse. Iamvero hi etiam singulos quosque locos vocabant « Scriptura ».

V. g. Mc. 12, 10: « Nec Scripturam hanc *(τὴν γραφὴν ταύτην)* legistis: lapidem quem reprobaverunt.... » — Io. 19, 36: « et iterum alia Scriptura *(πάλιν ἑτέρα γραφή)* dicit: Videbunt.... » — Act. 8, 32 prius dicitur: « Locus Scripturae *(ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς)* quem legebat, erat hic ». Pro hac vero expressione v. 35 substituitur: « Et incipiens a Scriptura ista *(ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης).* » Idem eruitur ex Act. 1, 16: « Oportet impleri Scripturam *(τὴν γραφὴν ταύτην)*, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda ». Non enim librum Psalmorum vel partem eius maiorem Spiritus Sanctus de Iuda praedixit, sed istum solum locum.

Si hic usus loquendi supponitur, habetur sensus: « quilibet locus Scripturae » (italice: ogni Scrittura).

533. *At neque ea sententia omni probabilitate carere videtur, quae πᾶσα sumit sensu collective.* Etenim 1) BLASS l. c. concedit: « *πᾶς* = totus invenitur [sine articulo], at tantum apud conceptus, qui habent determinationem individualem..., porro apud nomina urbium quae articulum non habent, Act. 21, 31 *ὅλη Ἰερουσαλήμ*, uti *πᾶσα* (om. D) *Ἱεροσόλυμα.* » — WINER-MOULTON o. c. sect. 19 p. 147 addit, articulum uti in genere ante substantiva, ita in specie in

significatione « totus » vocis « πᾶς » non raro deesse « ante obiecta, quorum tantum unum existit, et quae proinde fere aequiparantur nomini proprio ». Iamvero notio illa « Scriptura » forte habet talem individualem determinationem, quippe quae consideraretur ut aliqua collectio unica, plane sui generis. Unde etiam ALFORD l. c. comparat locutionem πᾶσα γραφή cum locutione πᾶσα Ἱεροσόλυμα. — 2) Etsi Scriptura saepe sumitur pro omni loco Scripturae, tamen saepius significat integram Scripturam, ut est aliquod totum. Locos v. HÜHN p. 276.

Quodsi hanc sententiam sequeris, habes sensum : « tota Scriptura » (italice : tutta la Scrittura).

534. — Quoad sensum textus in genere. — *Si θεόπνευστος praedicative* sumitur, sensus est : « Quilibet locus Scripturae » resp. « Universa Scriptura » est inspirata et utilis.

Si vero θεόπνευστος sumitur attributive, incisum vertendum est : « quilibet locus Scripturae inspiratus est etiam utilis », resp. « Universa Scriptura inspirata est etiam utilis ». *Etiam in hoc casu sensus loci est is : « omnis locus Scripturae,* seu universa Scriptura *est inspirata* et utilis ». Etenim etiam in hoc casu terminus « inspirata » afficit totum id, quod termino « omnis seu tota Scriptura » exprimitur. Nam est extra omne dubium positum, *terminum « inspirata » non esse restrictivum termini « omnis seu universa Scriptura », sed explicativum.* Si esset restrictivus, phrasis similis esset ac si dicerem : « Omnis homo robustus est etiam utilis ad labores corporales ». Qua ratione loquendi sane non diceretur, omnem hominem esse robustum et utilem ad labores corporales, sed eos ex hominibus, qui fortes, robusti sunt, esse etiam utiles ad labores corporales. Ita si sensus loci nostri restrictivus esset, ita exponendus esset : « Ex locis Scripturae, qui in inspiratos et non inspiratos dispescuntur, seu : ex universa Scriptura, quae in locos inspiratos et non inspiratos dispescitur, omnis locus qui inspiratus est, est etiam utilis ad docendum.... »

At hic sensus restrictivus admitti nequit. Nam primo talis sensus *pugnat cum doctrina certa Patrum* et ecclesiae. Ergo sustineri nequit. Secundo *etiam si res historice sumitur, omnino reiciendus est.* Etenim si haec esset doctrina apostoli, certe aut in hac epistola aut in alia aut in Traditione *deberet esse tradita norma, qua partes inspiratae a non inspiratis distinguerentur.* Hoc enim requireretur ad id ut esset fons doctrinae divinae, qui cum utilitate adhiberi posset. At de hac distinctione nihil plane notum est. Numquam neque in tem-

pore apostolico neque postea ullum vestigium vel umbra talis sensus apparet. — Caeterum ne ipsi quidem acatholici auctores sensum restrictivum admittere sed causativum vel explicativum statuere solent.

Argumentandi forma prior procedit ex solo hoc loco.

535. — SCHIFFINI p. 54: Omnis sumitur aut distributive aut collective. « In priore significatione, inspiratio affirmatur immemediate de singulis Scripturis, *sive textibus* Bibliorum. In altera significatione, inspiratio affirmatur de collectione *totaliter* accepta, atque adeo de singulis partibus in illa comprehensis; si enim aliqua huius collectionis pars non esset inspirata, iam non *tota* collectio dici posset divinitus inspirata ».

SCHMID p. 24 (idem quoad rem habere videtur CRETS p. 277-9): Quum « ex usu loquendi, qui tempore Christi frequens et Scriptoribus novi Testamenti familiaris erat, nomine γραφῆς ex una parte intelligi possint singulares textus et ex altera parte particula πᾶς in hoc loco habeat vim distributivam *et distributio ex natura sua in ultima elementa fieri debeat*, apostolus satis clare singulos Scripturae textus singulasque sententias dixit inspiratas. — Postremo ei, qui huic demonstrationi non acquiescit et inspirationis praerogativam ad partes aliquas determinatas aut ad res sacras et religiosas restringere vellet, reponere possumus: *Ubi Scriptura non distinguit, ex regula generali neque nos distinguere debemus* ».

Exceptio contra hanc argumentandi formam.

536. — *Opponi potest contra eam argumenti* formam prouti a SCHMID et CRETS proponitur, *eam inniti in usu distributivo vocis* πᾶσα. Hanc autem non absolute certam esse.

Contra argumentandi vero rationem, quae ab hac quaestione abstrahit, uti SCHIFFINI facit, et simul contra quasdam rationes a SCHMID et CRETS allatas, haec obiecit NISIUS, Zeitschrift für Kath. Theologie XVIII 1894 p. 670: Si « appellas ad principium, ubi Paulus non distinguit, nec nos distinguere debemus, opponi potest, nos, hoc principio adhibito, in non paucis effatis Scripturae quae generalissime expressae sunt, ad rectam expositionem non pervenire. *Multae eiusmodi sententiae ex natura sua et e legibus loquendi generaliter agnitis non postulant nisi universalitatem moralem* ». Id quod etiam sustinet quoad Rom. 15, 4: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram consolationem scripta sunt... ». Aliam quandam rationem, quam addit mox videbimus.

Argumentandi forma secunda interpretatur hunc locum secundum caetera omnia, quae de iuspiratione omnium et singularum sententiarum in Scriptura habentur.

537. — Pesch n. 433 p. 441, textu 2 Tim. 3, 14-7 citato et explicato, ita pergit: « Ergo quidquid nomine Scripturae venit, divinitus inspiratum est. *Potest tamen dubitari, quousque illud πᾶσα premendum sit. Sed si addiderimus* illud, quod in Novo Testamento indiscriminatim *citantur* libri legales, historici, poetici, prophetici, didactici ut *quoad singula dicta habentes auctoritatem divinam,* non difficulter concedemus illud *πᾶσα* extendendum esse ad omnes et singulas Scripturae sententias. Nam hic valet *argumentum inductionis:* A primo capite Matthaei usque ad ultimum caput Apocalypsis pluries centeni loci Veteris Testamenti aut ad verbum repetuntur aut secundum rem proponuntur ut dicta absolute vera et summae auctoritatis, sive de rebus magnis, sive de rebus per se parvis agitur. *Ratio* vero, ob quam omnibus illis dictis tanta veritas et auctoritas attribuatur, *semper una et eadem est:* " *Scriptum est* "; quod autem scriptum est, eo ipso quod scriptum est, impleri debet usque ad ultimam litteram et ultimum apicem ».

Exceptio contra utramque argumentandi formam.

538. — Etsi in Scriptura veritas de inspiratione omnium et singularum sententiarum continetur, tamen impossibile est, eam *hoc loco* a Paulo asseri. Res ita probatur: Quod exprimitur termino « inspirata » hoc loco eodem modo afficit terminum « omnis Scriptura », sicut alia illa perfectio, quae exprimitur termino « utilis ad docendum ». Atqui *repugnat, illam perfectionem « utilis ad docendum » afficere Scripturae locos omnes, si eos mathematice sumis.* Nam quae utilitas « ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruendum in iustitia » in pluribus sententiis, v. g. Num. 15, 27: « Et castrametati sunt iuxta aquas »; vel Tob. 11, 9: « Tunc praecucurrit canis etc. ». Ergo illa expressio « omnis Scriptura » vel « universa Scriptura » necessario intelligenda est de quadam morali universalitate. Ergo eo versu non probatur omnes et singulas sententias inspiratas esse. Ita quoad rem Nisius l. c. — Cui difficultati diversi diverso modo respondent.

539. — Schmid l. c. p. 24-5 concedit maiorem argumenti, scilicet utrumque terminum eodem modo afficere universam Scripturam,

negat autem, utilitatem in docendo e mente Pauli hoc loco expressa non ad universam Scripturam extendi. Ait enim: omnes loci Scripturae, « si non immediate et directe, iuvant mediate et indirecte (ad docendum), id quod abunde sufficit, ut in coniunctione cum aliis utiles ad dictum finem dici possint ». Quam utilitatem modo apud theologos consueto explicat. Cf. interim n. 404 p. 179. Finem imponit responsioni scribens: « Certe exaggerata dicere non possumus: Omnia quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus ».

Reponit Nisius l. c.: id quod dictum sit, in se verissimum quidem esse; at eam veritatem in mente apostoli hic expressa vix fundamentum habere, eam explicationem « contortam esse », nimis longe quaesitam.

540. — 2) Billot p. 99 nota 1, de alia re utique agens, distinguit maiorem argumenti: « At respondeo quod *aliter atque aliter pro rei natura, duo haec praedicata afficiunt subiectum omnis Scriptura.* Sicut si dicerem: totus ille liber est scriptus ab Augustino, et est valde utilis ad theologiam. Certe intelligerent omnes, primum dici de toto libro *secundum totalitatem etiam materialem, non autem secundum, quoniam in omni libro inveniuntur quaedam obiter dicta, vel ad ornamentum, vel ad aliquem finem accidentarium,* qui per se non facit ad principalem libri finem ». Vides hoc responsum iam supponere, aliunde esse probatum cum certitudine, incisum « inspirata » omnem omnino Scripturam afficere, supponendo vero rem iam esse evictam, demonstrat, difficultatem non subsistere.

Argumentandi forma tertia sumit textus Scripturae simul cum traditione, quae inspirationem omnium et singularum sententiarum docet.

Ita Nisius l. c. p. 670.

Propositio XIV. — Immerito multis classibus locorum Scripturae ob ipsam eorum indolem ratio verbi a Deo conscripti est denegata.

541. — Eas difficultates proponimus, quae de facto afferri solebant. — In quibus tractandis duo praestamus. Primo *rationes generales* damus, *ob quas adversarii plurimos singulos textus ab inspiratione exclu-*

debant, easque responso generali apposito refutamus. Secundo singulis refe rationibus generalibus propositis et refutatis *eos textus adiungimus, in quibus praecipue adversarii rationes generales fundabant.* Singulis autem textibus obiectis solutionis gratia non tam distinctionem apponemus, quam positivam explicationem addemus. Qua intellecta difficultas ex textu hausta in se concidere solet.

Haud raro ad generales alias rationes, ob quas inspiratio horum vel illorum textuum negatur, ab adversariis ea quoque addita est, quod *nulla in iis utilitas specialis perspiciatur.* At falsum est principium, in omnibus textibus, etsi sunt tantum per accidens inspirati, aliquam specialem utilitatem ad vitam christianam inveniri debere praeter eam, qua generaliter diversis modis cum rebus fidei et morum coniunguntur. De quibus modis, data opera propositione XV agemus. Cum tamen in textibus obiectis eiusmodi utilitas specialis de facto non raro inveniatur, eam breviter innuimus.

QUOAD SENTENTIAS ASSERTIVAS.

542. — **Obi. 1.** — *Quidam hagiographi diserte dicunt, se non ut instrumenta Dei loqui.* — **R.** Existit vel unus locus, in quo sacer auctor explicite vel implicite affirmet, se id quod scribit non sub inspiratione scribere, n; sacri auctores aliquando dicunt, illud obiectum de quo scribunt, carere hac vel illa relatione ad Deum, quae qualis sit e textu et contextu diiudicandum est, c.

2 Cor. 11, 17: « *Quod loquor, non loquor secundum Deum*, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae ».

Expl. Textus ita explicandus est: *Quod de mea gloria*, i. e. de rebus praeclare a me gestis atque de favoribus a Christo mihi collatis *nunc loquor, non habet externam speciem illius humilitatis, quam Dominus commendavit,* quaeque efficit, ut qui hac virtute praediti sint, secundum Domini consilia de sua propria laude generatim non agant. Sed haec mei agendi ratio potius externam speciem prae se fert insipientiae eiusmodi hominum, qui cum materia gloriationis propriae libenter occupantur vel cum magna fiducia ea, quae gloriae propriae sunt, proponunt.

Unde incisum illud « non loquor secundum Deum » non respicit rationem intimam scriptionis, num scilicet directio conceptuum Pauli ad Corinthios his verbis scriptis facta ex inspiratione processerit necne, sed tantum *materiam locutionis,* in qua S. Paulus prima fronte videbatur non secundum consilia Dei agere. Cf. Cornely, Comment. in 2 Cor. 1892 p. 297-8.

543. — 1 Cor. 9, 8: « Numquid *secundum hominem haec dico?* An et lex haec non dicit? » Sermo est de assertione, fideles debere apostolis ea subministrare, quae ad vitam degendam necessaria sunt.

Expl. Sensus versus hic est: « *Si cui tantum humana videtur haec ratiocinatio,* i. e. hausta solum e principiis humanis per lumen naturale notis, e quibus constat, omni operario suam mercedem deberi, audiat quid ipsa revelatio divina in lege Mosaica de eadem re statuat ». Cf. Cornely, Comment. in 1 Cor. 1890 p. 245-6. Deus per Paulum scribens argumentum et ex ratione et ex revelatione iam antea facta proponit.

544. — 1 Cor. 15, 32 : « *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi* Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? »

Expl. Inde a versibus 29-34 apostolus proponit confirmationem doctrinae de futura resurrectione. Ad quem finem servit etiam v. 32 : « *Si ob humanas tantum rationes,* nec in spe certa resurrectionis futurae *periculum istud* (certamen istud, quod pugnae cum bestiis comparari potest) *subii,* nihil concertatio mea profuit ». Cornely, ib. p. 486 (cf. inde a p. 481). — Quare iterum illud incisum : Si « secundum hominem » ad bestias pugnavi, non refertur ad scriptionem, sed significat modum sustinendi aerumnas proprium hominibus iis, qui motiva supernaturalia aut non attendunt aut ignorant.

545. — Obi. 2. — *Hagiographi dubium vel ignorantiam confitentur.* Deus autem neque de ulla re dubitat, neque quidquam ignorat. — **R.** *Deus scribit* his locis per hagiographos, *ipsos hagiographos aliquid nescire vel de aliqua re dubitare.* Haec vero eorum nescientia atque dubitatio eo tempore, quo Deus haec per eos scribebat, obiective aderat. — Deo autem indignum non est, ut, sicut alias res per accidens inspiratas nobiscum communicavit, ita etiam de tali dubio vel ignorantia hagiographi nobis scriberet. Imo aliquando specialis est utilitas in eo, quod eiusmodi ignorantia hagiographorum nobis nota est.

546. — *Dubium* v. g. exprimit Ioel 2, 14 « Quis scit, si convertatur (Deus) et ignoscat et relinquat post se benedictionem... ».

Expl. Obiectum elocutionis divinae est aliquod dubium prophetae, non illud quidem, quo dubitaret, num Deus hominibus viventibus atque debito modo dispositis ignosceret, sed illud quo dubitabat, *num Israelitae,* postquam vere ad Deum conversi fuerint atque veniam ipsorum peccatorum obtinuerint, *poenae temporalis quoque remissionem sint recepturi.* Scimus autem inter se non necessario coniungi remissionem ipsius peccati gravis atque aeternae poenae et condonationem omnis poenae temporalis. Qua ratione explicat textum Cornelius a Lapide in h. l. Com. in 12 Proph. Min. ed. Venet. 1751 vol. VII p. 184 H – 185 B. — Item Knabenbauer, Com. in Proph. Min. 1886 p. 220-1. — A. van Hoonacker, Les douze petits Prophètes 1908 p. 171 haec habet : « Le prophète émet l'espoir que Jahvé laissera après lui... offrande et libation, c'est-à-dire de quoi célébrer offrande et libation ».

Caeterum in Scriptura multi loci sunt, in quibus *forma interrogationis non est nisi oratoria.* Qua in hac nostra materia significatur, rem ab hominibus, si suis solis viribus relinquuntur, aut nulla ratione aut nonnisi difficillime sciri posse. Aliquando forma interrogationis aequivalet negationi. Cf. v. g. Mt. 12, 23: « Et tu Capharnaum, numquid usque in coelum exaltaberis? Usque in infernum descendes ». Quod si Dominus per se ipsum loquens tales se exprimendi formas adhibuit, certe neque repugnat eas adhiberi ab hominibus, per quos Deus ut per instrumenta loquitur.

547. — Prov. 30, 18-20 haec legimus: « Tria sunt difficilia mihi et quartum *penitus ignoro:* viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentia » (in virginem).

Expl. « Quae v. 18, 19 dicuntur, multi ita concipiunt ut dicant enumerari res quae nullum relinquant vestigium; in aere non cerni quod antea aquila volaverit, neque in petra quod serpens super eam repserit etc.; itaque non posse cognosci aquilam transvolasse, neque navim praeterisse etc. At in ipsis verbis, quibus tria illa et quatuor annuntiantur, nulla est mentio vestigii non relicti; verum asseritur solum v. 18 *tria sunt difficilia mihi,* potius hebr. mirabilia sunt prae me, altiora quam ut ego ea assequar, G *ἀδύνατα μοι νοῆσαι* impossibilia mihi intellectu; Aq. *ἐθαυμαστώθησαν,* S abscondita a me, *et quartum,* et quattuor, *penitus ignoro*; quod itaque conceptis verbis asseritur id unum est, *illa ab homine ignorari, esse mirabilia, superare captum et intelligentiam humanam, adeoque iis excitari admirationem* ». Knabenbauer, ad l. Comm. in Proverbia 1910 p. 234.

548. — 2 Cor. 12, 2-3: « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim *(sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit),* raptum huiuomodi hominem ad tertium coelum. Et scio huiusmodi hominem (sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit), raptum huiusmodi usque ad tertium coelum ».

Expl. Utile est nobis, Deum nos de hac ignorantia Pauli scribendo docere voluisse. Nam notitia facti, quod quaedam quae naturam status mystici respiciunt, ab eo ipso ignorantur, qui eos patitur, iuvat ad ipsam naturam statuum mysticorum melius cognoscendam.

549. Obi. 3. — *Hagiographi aliquando notitias indeterminatas ad nos dirigunt.* Atqui certo certius Deus non habet scientiam indeterminatam, sed quam maxime determinatam. Ergo saltem in talibus locis non ipse Deus per hagiographos nobis loquitur.

R. Hagiographi aliquando de rebus huius mundi notitias habebant veras illas quidem, at non tam determinatas, quam determinatae esse poterant, *ea tamen determinatione instructas, qualis sufficiebat pro fine quem Deus, eos inspirando, in nobis obtinere volebat.* Quem si obtinebat, non necesse erat, ut Deus, si eos inspirare volebat, iis revelationes concederet, quibus notitias magis determinatas

acquirerent. Sed satis erat, ut eos impelleret, ut nomine Dei hanc notitiam prouti erat, veram illam quidem sed indeterminatam, ad nos dirigerent.

Io. 2, 6: « Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae.... capientes singulae metretas binas vel ternas ». — Io. 6, 19 : « Cum navigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta ». — Act. 25, 6: « Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Caesaream ». Alia similia.

Expl. Apostolus certo sciebat, illas hydrias non cepisse singulas neque minus quam binas metretas neque plus quam ternas, ignorabat autem quae accurata mensura inter hos veros limites assignanda sit. — Ut aestimemus magnitudinem miraculi, certe etiam haec indeterminata notitia sufficit. — Idem dic de Io. 6, 19 etc.

550. Obi. 4. — *S. Paulus confitetur, ea quae in 2 ad Corinthios scribit, magna ex parte sapientia carere, imo insipientiae plena esse.* Iamvero Deus nobis non scribit quae insipientiae plena sunt.

Loci hi fere sunt: 2 Cor. 11, 1: « Utinam modicum quid sustineretis insipientiae meae. — 16: Iterum dico (ne quis putet me insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier. 17: Quod loquor quasi in insipientia. — 21: In quo quis audet [scilicet gloriari], (in insipientia [amentia] dico), audeo et ego. — 23: Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego ».

R. — Quidam *ironicam rationem loquendi S. Pauli* in his locis admittunt. Quam explicationem si sequeris, tota difficultas facillime evanescit. — At melior videtur haec explicatio: S. Paulus considerans, se de meritis propriis in hac epistolae parte gloriari, *talem vero gloriationem insipientiae cuiusdam speciem prae se ferre,* imo a neophytis quos pseudo-apostoli Corinthiaci seduxerant, forte sua verba in hanc sententiam saltem primo aspectu intellectum iri, *expressionibus suis eorum rationi loquendi se accomodat.* Per modum dantis non concedentis loquitur. At ne male intelligatur, primo verba, quae insipientiam designant, attenuat v. g. 16, 17 « quasi in insipientia ». Deinde *diserte veram suam sapientiam in hac ipsa gloriatione* affirmat. 11, 16: « Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse) ». 12, 6: « Nam et si voluero gloriari non ero insipiens ». Cf. Cornely Comm. in 2 Cor. 1892 p. 277-323, praecipue p. 280, ubi summam rei proponit.

551. — Obi. 5. — *Hagiographi permittunt ut ea, quae scribunt, ab hominibus libere diiudicentur.* Ergo non scribunt ut instrumenta Dei.

R. Hagiographi non concedunt, ut de scriptis suis libere iudicetur, neque si respicitur ea formalitas quod inspirata sunt, neque etiam si ab hac formalitate abstrahitur, et tantum aliae formalitates in his scriptis considerantur v. g. ea, quod sunt composita ab hominibus, qui in rebus religiosis infallibiles redditi erant. — Aliquando utique provocant ad iudicium lectorum de re quam scribunt, sed ad *iudicium eorum mere approbativum.* Aliquando de iudicio discernente agunt, at quod *ad res omnino alias* refertur.

552. — S. Paulus 1. Cor. 10, 15: « Ut prudentibus loquor, *vos ipsi iudicate, quid dico* ».

Expl. Apostolus loquitur *de iudicio approbationis quoad valorem argumenti sui.* Agit de mandato neophytis molestissimo, quod scilicet iubebantur abstinere ab omnibus epulis *sacrificalibus,* quamvis eae cum omnibus fere celebritatibus domesticis coniunctae essent. » Quapropter, ut molestum et difficile, quod daturus erat mandatum mitigaret, neophytos ipsos velut iudices constituit, ad eorum sapientiam, qua gloriabantur appellans: Ut prudentibus loquor... tamquam viris, quibus tanta competit rerum sacrarum scientia, ut verba mea intelligere et diiudicare possint, sententiam meam eiusque probationem exponam ». Cornely, Comm. in 1 Corinth. 1890 p. 291.

553. — 1 Thessal. 5, 20-1: « Prophetias nolite spernere. *Omnia autem probate;* quod bonum est tenete ».

Expl. Hoc loco non agitur de diiudicandis iis, quae ab hagiographo conscripta sunt. *Apostolus iussit, ut auctoritas ecclesiastica prophetas,* qui eo tempore in ecclesiis frequentes erant, *iudicio discernenti subiiceret,* veros approbaret, repudiaret falsos. Nisi enim examen instituebatur, periculum erat, ne impostores pro veris prophetis haberentur atque ita utilitas ea, quam Deus tali dono extraordinario concesso intenderat, in damnum ecclesiae verteretur.

554. — 1 Io. 4, 1: « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed *probate spiritus,* si ex Deo sint; quoniam multi pseudo-prophetae exierunt in mundum «.

Expl. Loci sensus hic est: « Nolite credere omni illi, *quod a quolibet doctore vel suasore vobis suggeritur aut suadetur* ». Sed necesse est « examinari et indagari, quo spiritu agantur, antequam iis fidem adhibeamus ». Cornel. a Lapide, Com. in ep. Can. ed. Venet. 1761 vol. 10 p. 635 E-G. In versibus sequentibus S. Ioannes ut normam in tali iudicio prae oculis habendam proponit doctrinam apostolicam.

555. — 2 Cor. 1, 23: « *non quia dominamur fidei vestrae,* sed adiutores sumus gaudii vestri, nam fide statis ».

Expl. Hoc versu Apostolus non negat, a Christianis omnia ea esse fide divina credenda, quae sive in epistolis suis scripserat sive praedicatione

orali ut revelata proposuerat. Sensus loci ita fere reddi potest: « Parcere vobis in animo mihi est; ideo non subito Corinthum proficiscendum mihi esse statui. Etenim si nunc subito ad vos venirem, punire vos deberem. Punire enim, proh dolor, necesse esset. *Non ac si tyrannicum imperium in fidem vestram exercerem,* quale sibi ascribunt pseudo-apostoli vestri; *sed quia poenam exigeret sanctum illud et legitimum spirituale imperium,* cuius finis non est mea utilitas, sed vestra aeterna beatitudo ».

556. — Iacobus 3, 2 concedit: « *in multis offendimus omnes* ». *Qui versus de doctrinis fidei intelligendus est.* Ergo S. Iacobus non scribit ut instrumentum Dei.

Expl. Quae S. Iacobus initio capitis tertii proponit, hunc sensum fundunt: « *Nolite plures ambire cathedram doctoralem* ». Etenim « tum verbo, cum alios docere volumus de quo proprie hic agitur, tum exemplo, in multis cadimus omnes ». Corn. a Lapide, in h. l. ed. Venet. 1761 vol. 10 p. 358 E. Iamvero in tali ministerio singuli magistri e Christianis non habent adiutorium doni infallibilitatis, neque gratiam, quae omnes defectus morales efficaciter praecaveret. *Non vero sermo est de magistris, quos singulos infallibilitate divinitus donatos esse aliunde constat, neque de hagiographis.* Num forte putabis, Iacobum fallibilem putasse etiam « legem regalem » in Scripturis propositam, de qua 2, 8 egit? Scripturam quam citat 2, 23, cuius uno exemplo citato ut argumento firmissimo prosequitur: « Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum? » Idem dic de 4, 5. 6; 5, 17. 18.

557. — **Obi. 6.** — *Hagiographi* quamvis vi inspirationis infallibiliter docere possent, tamen *ad revelationes antecedentes v. g. Veteris Testamenti, ad mandata vel verba Christi provocant.*

R. Sapienter Deus ad revelationem antecedentem remittit idque sive per revelationem sive per inspirationem nobis loquitur. Etenim haec ratio agendi commendatur primo ex eo fine Scripturae, ut *etiam eos, qui eius inspirationem ignorant, doceat ea, quae salutis sunt,* i. e. revelationem ipsam eiusque explicationem. Deinde is modus procedendi *iis quoque utilis est, qui iam agnoscunt inspirationem* eius scripti, in quo ad revelationem anteriorem remittitur. V. g. convenientissimum erat, apostolos ad verba Christi remittere. Ita enim illud officium explebant, quod specialiter iis erat demandatum. Hoc enim in eo erat, ut verba Christi toti mundo nuntiarent.

558. — Act. 20, 35 « Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac *meminisse verbi Domini Iesu,* quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere ».

Expl. Hoc versu apostolus rationem reddit, cur ab Ephesiis eleemosynas accipere noluerit, sed maluerit manibus suis laborare. Aptissime ad consilium Domini provocat.

559. — Rom. 14, 14: « Scio et *confido in Domino Iesu* quia nihil commune per [se] ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est ».

Expl. Apostolus agit de quaestione idolothytorum. Quam maxime conveniens erat, *contra opinionem infirmorum in fide ad Christi auctoritatem provocare,* sive expressione « confido in Domino Iesu » directe doctrinam Christi designat, sive expositionem infallibilem Christi Spiritu factam. Cf. Cornely, Com. ad Rom. 1896 in h. l. p. 711.

560. — 1 Cor. 9, 14: « Ita et *Dominus ordinavit* iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere ».

Expl. Hoc loco S. Paulus inculcat, Corinthiis fidelibus incumbere obligationem ut apostolis necessaria ad vitam ministrent. *Apte rem,* quae et magni momenti pro vita ecclesiastica et *haud parvae difficultatis pro Christianis erat, ex eo repetit quod ipse Christus ordinaverit,* « iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere ».

561. — 1 Cor. 11, 23: « Ego enim *accepi a Domino, quod et tradidi vobis...* ». Sequitur relatio de institutione eucharistiae per Christum factae.

Expl. Num forte Paulus qua apostolus sacramenta instituere poterat, an forte inspiratio facultatem hanc confert vel cum ea identica est? Debuit ergo S. Paulus hanc positivam institutionem immediate divinam e voluntate positiva immediate divina repetere. Haec autem nonnisi revelatione innotescere poterat. Ergo S. Paulus ad eam provocare debebat.

562. — **Obi. 7.** — *Hagiographi ut suis dictis fidem concilient, provocant ad ipsam auctoritatem humanam, sive propriam sui ipsorum sive alienam.* Atqui Deus ut suis dictis fidem conciliet, ad auctoritatem humanam provocare nequit. Ergo non omnia in Scripturis sub inspiratione scripta sunt.

R. Simili modo ad hanc difficultatem respondendum est atque ad ultimam fecimus. — *Auctoritas etiam humana, humanaque argumentatio scitu utilis est* primo iis, qui adhuc inspirationem Scripturae atque ipsam revelationem divinam ignorant. Etenim ea iam sola pro rerum circumstantiis poterunt sufficienti certitudine cognoscere multa ex praeambulis fidei; multa ex motivis credibilitatis iisque rebus historicis quae ad ea referuntur; multa ex iis veritatibus divinis, quae utique etiam revelata sunt, at nihilominus iam per rationem naturalem cum certitudine cognosci possunt. — Deinde eadem auctoritas atque ratiocinatio etiam iis utilitatem affert, qui inspirationem atque revelationem fide tenent. Confirmat enim ea, quae ex divina auctoritate hauserunt.

563. Gal. 2, 9 *S. Paulus ad auctoritatem caeterorum apostolorum* pro sua missione provocat: « Et quum cognovissent gratiam quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem ».

Expl. S. Paulus c. 1 et 2 in eo est, ut ex una parte doceat, se doctrinam suam directe e revelatione divina hausisse; ex alia parte premat, se ut verum apostolum Christi a ceteris apostolis recognitum esse. Erat sane magni momenti pro S. Pauli laboribus apostolicis, hanc apostolorum agnitionem premere; erant enim, qui Pauli dignitatem apostolicam deprimerent. Unde optime capitur Spiritum Dei S. Apostolum impulisse, ut de hac apostolorum mente Christianis scriberet.

564. — 2 Cor. 11, 22: « Hebraei sunt, et ego; Israelitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego » etc.

Expl. S. Paulus hoc loco contra pseudo-apostolos hebraeos agit, qui fructus operis sui periculo exponebant. Digna sane res erat, ut rationes, propter quas se Paulo superiores existimabant, refutaret.

565. Obi. 8. — *Hagiographi usui suarum facultatum, quibus fontes humanos consuluerunt, ea ascribunt, quae nobiscum communicant.* Ergo ea non scribunt ex inspiratione divina.

R. Hagiographi affirmant, scriptionem notitiarum, quas nobiscum communicant, procedere ex usu mere naturali facultatum suarum, non vero esse ascribendam Deo ut causae principali, n; *affirmant, se eam notitiam rerum, quas Dei impulsu eiusque nomine nobiscum communicant, non recepisse ex revelatione divina sed ex usu fontium humanorum*, c. Cum de essentia inspirationis data opera agetur, inquiremus, num etiam in acceptatione notitiae ex usu fontium speciale auxilium divinum intercedere debuerit. — Id unum asserto nostro de inspiratione omnium et singularum sententiarum probavimus, Deum esse qui eas omnes et singulas per sacrum auctorem conscripserit, i. e. ut sua, Dei, iudicia ad nos direxerit. Quodsi auctores ea, quae Deus per eos nobis scribere volebat, nescierunt, ea iis utique antea revelare debebat; si vero ea iam sciverunt, revelatio scientiae necessaria non erat, sed sufficiebat, ut ea quae iam noverant, Deo impellente eiusque nomine, nobiscum communicarent. Cf. n. 38 p. 24-5. Quod si e solo conceptu scriptionis sententiae per Deum hoc cum certitudine nesciremus, id saltem ex ipsis verbis hagiographorum disceremus.

Si porro auctores sacri scientiam suam e fontibus creatis hauserant, certe nihil obest, quominus hoc nobis dicant; *imo multiplex*

utilitas inde nobis evenire potest. Nam primo omnes eae utilitates respiciendae sunt, quas in responsione ad ultimam difficultatem attulimus, quaeque haud raro vere magnae sunt. Deinde habetur ea utilitas generalis, quod hac ratione facilius perspicimus, quid ad essentiam inspirationis pertineat, quid non.

566. Ad testimonium sensuum suorum, suamque veracitatem provocat S. Ioannes 19, 35: « Et qui videt testimonium perhibuit et verum est testimonium eius, et ille scit, quia vera dicit; ut et vos credatis ».

Expl. Nemo ignorare potest, quanti momenti sit, ut etiam humana auctoritate Ioannis constet, facta illa, de quibus testimonium refert, revera locum habuisse. Sunt enim haec duo, Iesu mortui non esse fracta crura, esse autem latus a militibus lancea apertum. Iamvero in utroque hoc facto aliqua prophetia implebatur. In illo: « os non comminuetis ex eo »; in hoc: « videbunt, in quem transfixerunt ». Per se autem impletio prophetiae assensu scientiae humanae admittenda est, sicut totum illud, quod ad cognitionem prophetiae qua talis pertinet. Est enim motivum credibilitatis. Motivum autem credibilitatis sciendum est, ut id credi possit, quod ut credibile reddatur prophetia data est.

567. — Prov. 4, 34 auctor libri *sapientiam suam a patre suo repetere videtur*. « Nam et ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus corum matre mea. Et docebat me atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi praecepta mea et vives; posside sapientiam, posside prudentiam, ne oblivisscaris neque declines a verbis oris mei! ne dimittas eam, et custodiet te, dilige eam et conservabit te ».

Expl. Versibus citatis *non refertur ad patrem et matrem (text. hebr.) auctoris ea omnis doctrina quae in decursu libri sequitur*. Sed auctor affert tantum suam docilitatem erga doctrinam parentum suorum ut exemplum, quod ii sequi debeant, quos ipse instruere vult. Qua occasione refert verba citata patris sui, quibus continetur exhortatio ut filius verba paterna corde fixa teneat. Cf. Knabenbauer, Com. in Prov. 1910 p. 40-1.

568. — *Traditionem sive oralem sive scriptam interponit* S. Lucas: 1, 3 « Visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter (*παρηκολουθηκότι ἀκριβῶς* accurate) ex ordine tibi scribere ».

Expl. Erat utilitas specialis in eo sita, ut S. Lucas diserte affirmaret, se eos consuluisse, qui poterant recta de ordine chronologico vitae Christi afferre. De *ordine* enim *chronologico* recentiores illud « ex ordine » explicare solent. Censet Lucas « esse necessarium vel utile, ut Theophilo, viro erudito, *aliquid praebeatur quo ostendatur, ea quae doctrina christiana proponantur esse certissima et firmissima*. Iam vero evangelium rebus gestis et factis cumprimis innititur et continetur. Sed si res gestae aliter ab aliis narrantur, si vario modo inter se connectuntur, si diversa apparet ratio temporis aliarumque conditionum apud eos qui referunt, evenire solet ut ipsa rerum veritas iam non adeo firmiter constet apud eum qui varias illas narrationes noverit ». Cf. Knabenbauer, Com. in Lc.[2] p. 39.

569. Obi. 9. — *Ea, quae hagiographi alios loquentes faciunt, certe verba istorum sunt,* in quibus caeterum haud raro multa falsa inveniuntur. *Ergo* tales loci *non sunt verbum Dei scriptum* seu Scriptura sacra.

R. *Deus scripsit, hos et hos homines vel angelos etc. tales sermones habuisse.* Sunt ergo eodem modo verbum Dei scriptum, sicut epistola alicuius hominis, Sempronii, in qua narrat, quid v. g. mater sua amico dixerit, est verbum Sempronii scriptum, continens ut obiectum seu materiam scriptionis sermones matris. — Num sermones ii, qui referuntur, fidem mereantur, necne; num porro fidem humanam exigant an divinam, pendet ab eo, num aliunde constet, eos qui loquentes inducuntur, esse veraces vel nomine Dei esse locutos.

QUOAD SENTENTIAS AFFECTIVAS.

570. — Obi. 10. — *In genere quoad affectus.* — Saepissime in Scriptura, praecipue in Psalmis et in epistolis, legimus eiusmodi phrases: « anima mea desiderat, continuus est mihi dolor, saluto vos » etc. At evidentissimum est, *spei, tristitiae, desiderii, alios eiusmodi affectus, utpote creaturis proprios, non posse attribui Deo.* Ergo tales phrases non possunt vocari verbum Dei scriptum.

R. 1) Aliud est ipsum affectum hagiographi a Deo proficisci ut a causa principali, ab homine ut ab instrumentali, aliud ipsam *scriptionem affectus hagiographi tali ratione a Deo procedere.* Iamvero ex thesi hoc unum sequitur, hos affectus hagiographorum, de quibus in locis obiectis sermo est, se habere ut obiectum seu materiam scriptionis divinae.

Differentia autem quaedam est inter scriptionem divinam affectuum hagiographorum, quos actu habent et inspiratione impellente exprimunt, et inter scriptionem divinam narrationis *de affectibus quos ipsi hagiographi vel alii aliquando habuerint.* Illa, ut suo loco videbimus, approbationem affectus ut boni et sancti e parte Dei inspirati secum fert, haec vero per se non.

2) Multi poterant esse fines, ob quos tales affectus a Spiritu Sancto conscriberentur. E quibus hos commemoro: v. g. ut sciremus, qui affectus sancti sint; ut haberemus formam orandi ab ipso Spiritu Sancto.

571. — Obi. 11. — *In specie quoad orationes ad Deum fusas.* — Innumerae *preces ab hagiographo funduntur.* Deus autem orare nequit. V. g. quomodo Deus dicere potest: « Miserere mei Deus »?

R. Oratio, i. e. elevatio mentis ad Deum, est ipsorum hagiographorum. Qui etsi ad eam fundandam gratia supernaturali iuvantur, tamen in ea se habent ut causa princeps. At expressio huius orationis scripto facta est a Deo ut a causa principali, a scriptoribus ipsis vero ut a causis instrumentalibus. — Deus ipse dignatus est nos docere quomodo orandum sit, in quantum ipse hagiographum impulit, ut certas preces suo, Dei, nomine pro hominibus conscriberet. Non autem necessarium erat, ut eae a Deo revelante homini inditae essent.

572. — Obi. 12. — *Speciatim quoad mandata hagiographorum.* — *Hagiographi subditis mandata iniungunt.* V. g. 2 Tim. 4, 13: « Penulam, quam reliqui Troade, veniens afer tecum »; 1 Tim. 5, 23: « noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates ». Alia mandata plurima in eo sunt, ut quidam iubeantur alios salutare. Vide seriem talium praeceptorum Rom. 16, 3-16. *Iamvero videtur esse inconveniens, statuere Deum talia iussisse.* Si autem scripsit, ipse talia iussit.

Imo *aliquando ipsi hagiographi efferunt, quaedam mandata quae dant, non esse divina.* 1 Cor. 7, 10-2: « Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.... Nam caeteris ego dico, non Dominus..... » — 25, 6: « De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.... Existimo ergo, hoc bonum esse propter instantem necessitatem.... » — Aliquando hagiographi simpliciter dicunt, se haec mandare. Ita v. g. Deut. 30, 11: « Mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum ».

R. Mandata quod attinet, *in genere idem repetendum est, quod circa alios affectus est observatum.* Etenim etiam ipsa mandata volitiones sunt hagiographorum, a Deo tamen conscripta.

Ab orationibus differunt eo, quod non ad Deum diriguntur; *a multis aliis volitionibus* eo, quod ad alium diriguntur, non vero uti v. g. gaudium ad neminem a gaudente distinctum; *a caeteris volitionibus, quae ad alios sunt,* eo, quod subditos respiciunt atque in iis obligationem moralem causant.

573. — Unde has habemus applicationes ad nostros casus: *Mandata hagiographi* eo ipso quod ab hagiographo ut inspirato con-

scribuntur, *nequaquam fiunt mandata divina,* seu non praecipiuntur ab hagiographo sub auctoritate divina. *Remanent in eodem gradu auctoritatis et eandem speciem obligationis pariunt, atque ea mandata, quae sub charismate inspirationis biblicae expressa non sunt.* Unde dignitas atque obligatio etiam horum mandatorum sicuti omnium aliorum dependet ab ea auctoritate, quam hagiographus independenter ab inspiratione habebat atque quam in mandato imponendo exercere intendebat.

Quare inspiratione scriptionis horum mandatorum, non mutatur quidem obligatio his mandatis obtemperandi, sed additur nova obligatio, ut ob scriptionem horum mandatorum per Spiritum Sanctum *fide divina credatur, haec mandata* cum ea auctoritate, quae iis ex dignitate scribentis aliunde nota convenit, *esse data ab hagiographo.* Sequitur, ut postea videbimus, ea esse omnino sancta.

574. — Unde nihil magis naturale est, quam quod v. g. apostolus Paulus diversas species mandatorum imponit, imo ipse etiam data opera distinguit atque premit diversam dignitatem intrinsecam eorum quae mandat.

Quae fuerit species obligationis ex talibus mandatis proveniens, cognoscitur e materia rei praeceptae, e verbis expressis, e circumstantiis. — S. Paulus utique sub inspiratione scribit : « affer penulam », « vino utere », tamen non censetur mandatum divinum afferre, neque auctoritate praecipere, quae vi muneris apostolici ei competit, sed petere ut amicus vel forte ea potestate uti, quam dominativam in superiore ecclesiastico dicimus. — Cum praeceptum dat de ratione eucharistiam celebrandi, utitur iurisdictione sua ecclesiastica, qua etiam hodie episcopi et Romanus Pontifex pollent. — Cum dicit : « non ego dico, sed Dominus », mandatum immediate divinum enuntiat. — Aliquando quaestio difficilis est, qua auctoritate in iubendo utatur, uti v. g. cum de privilegio Paulino agitur. (Cf. v. g. Wernz, Ius decretalium tom. 4 de matrimonio, n. 701 sq. p. 1037 sq.).

« Aliud igitur est, scriptorem aliquid statuere spiritu suo humano seu voluntate propria, aliud vero, eum scribere illud spiritu humano.... Itaque certum esse debet, scriptionem semper esse a Spiritu S., etiamsi factum, vel statutum, vel aliud simile non sit ita specialiter a Spiritu Sancto ». Crets p. 189.

575. Scholion. — *Confirmatur* inspiratio omnium et singularum sententiarum Scripturae *ex persuasione Iudaeorum, tum Hellenistarum tum Talmudistarum.* Quam persuasionem clare exhibent diversa ex iis, quae n. 343 7 p. 153-5 tradidimus. Cf. v. g. n. 344, 4; n. 347 locum Sanhedrin 99 a.

576. — *Finivimus demonstrationem* pro inspiratione omnium et singularum sententiarum S. Scripturae. Eam hausimus ex Patribus, ex decisionibus ecclesiae, ex doctrina Christi et apostolorum in Scripturis contenta. Refutavimus quoque eas rationes, quas sive contra vim argumentorum e Patribus, ex decisionibus ecclesiae, ex Scripturis afferunt, vel quibus doctrinam oppositam de restrictione inspirationis ad certas partes Scripturae ex ipsis his fontibus probare student.

Superest, ut *eas rationes theologicas magis speculativas reiciamus*, quibus quam maxime recentius restrictionem inspirationis probare nitebantur. Quae praecipue petuntur ex fine Scripturae, ex obiecto materiali virtutis fidei et infallibilitatis ecclesiae. De quibus sequentibus propositionibus agemus.

220.15
L 110
17307
LAAK, HERMAN V.
AUTHOR
De ...Inspiratione & Inerrantia
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
Cunn
Missouri
Free
[redacted]
DEC 1 2 1986
17307